BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
3 G
14

CONSIDERATIONES SPIRITVALES ALOYSII

De Sancto Seuerino, PRINCIPIS BISINIANI, &c.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Coll.

NEAPOLI,
Apud Lazarum Scorrigium 1629.
& iterũ apud Nouellũ de Bonis
Typogr. Archiepiſc. 1664.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ADMODVM REV.

D. THOMAE PELLICCIONO

CLERICO REGVLARI, ſuo à ſacris Confeſſionibus Patri.

Aloyſius de Sancto Seuerino, Biſiniani Princeps.

QVæ cõuentio pluuiæ ad eſcam? aut quę pars petrę ad aquas

Digitized by Google

aquas? & tamen Domi-
nus populo ſuo ad man-
ducandum pluit manna,
& petram manare iuſſit
aquas, ad eius explendam
ſitim, vt (ni fallor) miſe-
ricordiam ſuam ſimul, &
omnipotentiam oſtende-
ret: Inſuper docens ho-
mines in ſua, quamquàm
inuiſibili prouidentia cō-
fidere; vnde exclamat A-
poſtolus, Nolite amittere
confidentiam veſtrā, quæ
magnam habet remune-
rationem; Sicq; nobis sē-
per proſpicit, amās Deus.

Aruit

Digitized by Google

Aruit tanquam teſta, virtus mea, exiccatū eſt cor meū, anima mea impleta illuſionibus & temporalibus concupiſcentijs; imò potiùs preſſus anguſtijs viuo, & nihilominùs, qui conſolatur humiles omnipotens, aſsūpſit me, & de petra cordis mei virga inſpirationum ſuarum percuſſus, has conſiderationes effluere fecit, vt qui hanc miſericordiã ſuam videt in peccatore, non deſperet, ſed de eius infinita bonitate cõfidat.

Vt

Vt Dei mei miſericordis opus fiat euidentius, im-preſſionis ſcopus : In hac via ad Patriam te Duce vtor, tu conſcius viarum, & finium meorum, tuũ-que erit, me à detractori-bus tueri. Vale.

BE-

BENIGNO LECTORI.

Anima noſtra, quatenùs ſuperiori bono vacat, ſpiritus dicitur, dicente Domino, Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant, oportet in ſpiritu adorare; Paulo atteſtante, Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: tunc tranſit de ſtatu animæ, quæ corpus viuificat in ſtatum ſpiritus, cum à corpore ſeparatur; pro huiuſmodi lucta terminum cupiens, exclamabat Apoſtolus, Cupio diſſolui: dùm verò in hac vita ſumus, non melius Deo, quod eſt omne bonum, vacare poſſumus, quã orationi, vnde robur

biur

bur accipimus, nè ſuccumbamus. Ego miſer inter mundi anguſtias, vndique deprehenſus, furtim aliquando hæc, quæ vides, beneuole Lector, meditatus ſum, ſcripſi velociter, inſpirante Domino, nullo ſtudio comparata in lucem exeunt, vt in omnibus honorificetur Deus, cuius miſericordia vallium ima, peccatorum ſcilicet corda, penetrare non deſiſtit. Si ordo deficit, & loquentium perſonæ mutantur, nè mireris; ità enim recogitare, ità ſcribere voluit Dominus, cui ſit gloria, & laus in æternum.

CONSIDERATIO PRIMA.

COnſiderans lubricitatem peccandi, ſæpè eadem peccata repetendo, flens ad Dominum verba Dauid Pſ.56. ſæpius repetijt: Fortitudinem meam ad te cuſtodiam; quia ſuſceptor meus es Deus. Quaſi dicens: Tutelam meam, ac patrocinium tibi committo, tibi defero, tu meus cuſtos, & tutor, & protector eſto, te cõſtituam fortitudinem meam, cuſtodiam, & auxilium à te ſperabo, & expectabo, quaſi pupillus tutorem; pupillo tu eris adiutor: quaſi vagus cuſtodem petit, carens viribus, protectorem: Dominus protectio tua ſuper manũ dexterã tuã; ad manũ, quaſi virga, & baculus, cui in lubricitate innitatur; ſi ego debilis, tu fortis, Dominus fortis, & potens quaſi fortitudo mea eris ad meã debilitatem reparãdã, ne te amplius offendam; imò laudem meam, & carmina tibi ſeruabo, cum

erutus è poteſtate tenebrarum, meorum ſcilicèt peccatorum, tibi laudes canam, & gratias agam: Quia tu ſuſceptor meus, & adiutor meus es. Et Pſ. 27. Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationum Chriſti ſui eſt.

CONSIDERATIO II.

Eiuſdem lubricitatis,& peccandi facilitatis remedium Deum inuocauit verbis Pſ. 29. Firmamentum eſt Dominus timentibus eum; quaſi fundamentum firmum eſt Dominus timentibus ſe; neque enim illos labi, ac ruere permittit, ſed ſuſtentat, & continet tanquàm ædificium, & columnam, firmiſſima baſis, conſilium Domini timentibus eum,quaſi fundamétum, & initium rerum agendarum: opera mea omnia ſiue cogitationes,& verba, ſiue opera ſint, à tuis præceptis, & conſilijs ſumant initium,illis innitantur tanquàm muro firmiſſimo, quia tam firmo iacto fundamento,ſtabilis, & firma erit ſuperextructa ædificatio, non tanquàm agitata arundo tam facile huc, illucque voluntas mea flectetur.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO III.

SÆpius verba Pſ.77.repetijt: Panem Angelorum manducauit homo. Non amplius manna, quæ non propriè de Cœlo, ſed de aere deſluebat, Angelorum miniſterio, & virtute. Non quem Angeli ederent, ſed ad quem dimittendum opera præſtarent; ſed te Domine Ieſu, qui dixiſti, ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi, Ioan. ſexto. Te quidem pridem ſolùm Angeli, nũc autem & homines, & inter homines ego, qui non homo, ſed opprobrium hominum rectè vocor. Non dicaris Domine Ieſu amplius cibus fortium, cibus egregiorum hominum, ac principum, ſed deſpicatorum, ac vilium, quia me admiſiſti ad te guſtandum, & me tuo corpore, ac ſanguine dulcitèr inebrias. Tu cibaria verè hodie mittis in abundantia, quia te ipſum nobis in itinere, & ad terram promiſſam tendentibus apertis ante ianuis, & confortatis earum ſeris pretioſo tui ſanguinis liquore te ipſum viaticum præſtas, & præuia noſtrorum peccatorum repetita indulgentia das viaticum: ve-

rè dulcis: verè miſericors: verè paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Pſ. 67. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Eloquium tuũ verbum tuum repetam ego, Ieſus meus, dulcedo mea, quod eſt Verbum Patris.

CONSIDERATIO IV.

COnſiderans verba Dauid Pſ. 56. In me ſunt Deus vota tua: quæ reddam laudationes tibi; Si Dauid figuram ſolùm huius ſacroſancti Sacramenti Euchariſtiæ, ſacrificium laudationis appellat, quid nos dulciſſime Ieſu dicere oportet, quando te ipsũ Domine Ieſu verè oblatum Deo Patri pro nobis quotidie, incruentèr tamen, ſed reuera non in figuris hoſtiam, & oblationem conſidero, meumque pretioſum cibum, & potum video, quæ gratiarum actio huiuſmodi æquabit beneficium, quid tibi, Deus homo, dulcis Saluator, ac Domine offeram? Neque tamen omni munere vacuus diffidam, ſi arca mei cordis repleta eſt bona voluntate, quæ ante oculos tuos, Deus meus, & Dominus meus, erit

pro omni munere, quia tu bonorum noſtrorum non eges. Sit ergo nomen tuum benedictum in ſæcula.

CONSIDERATIO V.

CVris, & tribulationibus, vndique circumdatus, & preſſus, nè in meditatione earum ignis exardeſceret, verba Dauid ſæpius repetebat Pſ. 32. Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me, & nedùm refugium, & adiutor in opportunitatibus in tribulatione, ſed exultatio mea, non quidem foris in circumdatione præſſuræ, ſed intùs carmina reſonabant de conſolatione lætitiæ, vt tota lætitiæ ratio ab eo procedat, qui exultatio dicitur; hoc vt in me facias Domine Ieſu, humilitèr deprecor, & ſupplicitèr exoro; quia tu das in nocte carmina, gaudium ſcilicèt in tribulatione, tu id operatus es in inſigni illo tuarum laudum præcone, qui dicebat: In laboribus, in vigilijs, in carceribus, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio; ſit in te dulciſſime Ieſu cantatio mea ſemper, & ſi prodigium factus ſum multis ex tribulationum mo-

le, litium ſcilicèt & æris alieni, aduerſariorum multitudine ſeptus, ſis tu adiutor fortis, vt cantem gloriam tuam, & magnitudinem miſericordiarum tuarũ tota die, quæ ſæpius lacrymans repetebat.

CONSIDERATIO VI.

VErba Ezechiel repetijt: Vidi, & ecce ſimilitudo, quaſi ſpecies viri à lumbis eius, & ſurſum ignis, & à lũbis eius deorſum quaſi viſio auræ, vbi inquit Hieron. Dei refrigeria de ſupernis demonſtrat; Hæc, inquit, à te Domine Ieſu flammis litium exurens peto; quia Paraclitus diceris, & conſolator, miniſtra mihi, qui magiſter, & Dominus non erubeſcis miſerrimis nobis miniſtrare Saluator meus Deus, & Dominus meus, rorem ſaluificum, qui animam meam, & ſpiritum refrigeret, vt triſtis gaudeam, egens multos locupletem, & nihil habens, omnia in te amor meus poſſideam; ſemperque repetam benedictum nomen Maieſtatis tuæ in æternum.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO VII.

PEccatorum ſuorum timore exterritus, nihil boni in ſeipſo inueniens, totus ad Deum conuerſus verba Ieremiæ labijs ſuis pronunciabat frequenter: Conturbata ſunt viſcera mea ſuper Ephraim, miſerans miſerabor eius, ait, Dominus adijciens illa Oſeæ. Non faciam furorem iræ meæ: non cõuertar, vt diſperdam Ephraim, quoniam Deus ego. Commoueatur viſcera tua Deus meus ſuper filio quo, & ſi iniquus, & prodigus tu non reſpuis redeuntem ad te; commoueantur viſcera tua, dominator Domine Deus miſericors, & clemens, Deus commotus, miſericordia nempè, vt matri viduæ filium reſtitueres: Tu Deus meus Saluator meus, vt propriè non ſolùm effectu, ſed etiam effectu pietatis, & miſericordiæ potuiſſes mouere carnem meam aſſumpſiſti, & melius, quàm Iob dicere potes; ab infantia creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Nè ergo in ira tua corripias me, nè in furore arguas; ſed audiam vocem laudis

tuæ, miſericordiæ ſcilicèt, & pietatis; enarrem vniuerſa mirabilia tua, & dicam: Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei. Quæ ſæpius dolens, & ſperans die illa repetijt.

CONSIDERATIO VIII.

EFfuſo corde, & ſpiritu ad Dominum ſuauiſſimi inter Redemptorem, & Petrum dialogi verba repetijt: Tu es Chriſtus filius Dei viui: &, Tu es Petrus Simon Bar iona; quare Domine, beatus? quia non caro, & ſanguis reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis: quid eſt hoc? niſi præuentio gratiæ Dei vocantis; miſericordia eius præueniet me, & reſponſio obſequentis, & correſpondentis, vnde peccatoris fit iuſtificatio; Reuelat Deus, credit homo, vnde iuſtus ex fide viuit; inde quia confiteris Simon, & aliud ex Diuina reuelatione, quàm ex ſenſu percipiens me Deum dicis, quem ſolum hominem vides, Bar-iona es, filius ſcilicèt columbæ, nempè Spiritus ſancti, qui in columbę ſpecie viſus eſt; tu qui Deum confiteris, introſpiciens hominis, quam exhibeo formam eris

Pe-

Petra fortis, & firma; non ſicut Adam, qui vt Deus fieret, Dei mandata contempſit, indeque cinis euaſit, & puluis tentationum ventis obnoxius; & aduerſum te portæ inferi non præualebunt: ò Domine Ieſu dulciſſime, qui noſtræ imbecillitate carnis aſſumpta debiles ex Adam genitos, & natos, adamantinos, & fortes reddis, præſta mihi miſerrimo, & cadenti fortitudinem tuam, & robur tuum ad cuſtodienda mandata tua, vt poſſim dicere: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Quæ ſæpius repetiit in die illa clamans ad Dominum.

CONSIDERATIO IX.

EXcœcatum ſe conſiderans ad Dei præcepta conſideranda, & ea, quę ſurſum ſunt, videnda, verba D. Pauli repetijt: Deus huius ſæculi obcęcauit mentes infidelium, vt non ſplendeat illis lumen Euangelij; & illa Saluatoris in Euangelio: Propterea in parabolis loquor, vt videntes non videant; huc me dolens, & triſtis; non quod odiſſet illos, volebat, nè viderent: ſed quod oculos ſuos ipſi obſtruxiſſent: vbi enim

ſpontanea prauitas, ibi & impedimentum gratiæ; hoc eſt, excęca cor populi huius, & aures eius aggraua; ego ipſe gratię Dei impedimentum præſto; non ſic tu Diue protector meus Paule; ſed gratia eius in me vacua non fuit, dicebas tu; Te Dominus obcęcauit triduo, vt abſque ſenſus impedimento lumen interius reciperes, deinde exterius, hoc eſt Dominus mortificat, & viuificat: caro namque percutitur, vt anima ſanetur; quia non ſiſtit in morte, ſed redundat in vitam. Non ſic ego impius, non ſic, qui proprij luminis excęcator ſum; & nè lumen à diuina miſericordia recipiam, impedimentum, fac me Domine Ieſu quotidie ad te clamantem, vt lumen recipere mereat: eſto mihi Diue Paule mediator ad mediatorem: reuela Domine oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Quæ fuſis lacrymis timore, ac tremore plenus repetebat.

CONSIDERATIO X.

DE diuinæ gratiæ viſitatione ad peccatoris animam aliqna conſiderans, verba ſponſæ repetebat: Dile-

ctus

ctus meus mihi, & ego illi; ſubaudi, nè pendeat, vt deficiat oratio, inquit Bernardus, intendit; quia vera ſunt verba Euangeliſtæ: Non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos; ſed quomodò alibi ſponſamet dicit: Ego dilecto meo, & cõuerſio eius ad me: nunquid quæ ſponſo tribuit operis principium, denegat cõplementum? nequaquam; quia ipſe dat velle, & perficere pro bona voluntate ſua, ſed dicit, tua gratia, ſponſe dulcis, præuenit me, vt Dauid ait, miſericordia eius præueniet me, animam meam, & voluntatem ad opus bonum mouit, & auxilio efficacis gratiæ determinauit, & non minus concomitatur; ecce enim Deus adiuuat me; ſed & ſubſequitur: & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ; ita vt operis perfectio, & conſumatio non minus gratiæ tuæ opus ſit, quàm initium, quod eſt & conuerſio eius ad me, quia tu das præueniendo velle, & ſubſequendo perficere, gratia tua, & voluntate tua; quod ago bonum opus gratiæ tuæ eſt, ſiue ſpectes initium, ſiue medium, ſiue conſummationem; & ſi ego miſer non facio, mea culpa

eſt, quia te vocante non reſpondeo, & inſpirante dormio; nè diſcedas Domine, ſed ſuſtine peccatorem.

CONSIDERATIO XI.

COnſiderans, quæ in Euang. Dominic. 3. poſt Pent. leguntur, exclamauit: O verè Deus miſericors, & miſerator; bene dixit Dauid: Lætabitur dominus in operibus ſuis, ſibi gratulabitur, quaſi lætior, hilariorque dies tibi illuceat Domine, cum aliquid in noſtrã vtilitatem operaris: id eſt, quod dixit Propheta: Et lætabor ſuper eis, cum benè eis fecero, & plantabo eos in terra iſta in veritate, in toto corde meo, & in tota anima mea: plenè Domine hilareſcis, cum operaris miſericordiam; cum peccatores vocas, & recipis; non enim iuſtos veniſti vocare, ſed peccatores; & ſi vocati ad te veniunt, non ſuſtines moram aduentus eorum, quia tu es pater ille, qui cum adhuc filius longe eſſet in via, tamen ad ipſum miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Tu Domine Ieſu manducas cum peccatoribus, & bibis, ho-

horum cõuerſio tibi eſt conuiuij dies, in domo Phariſæi recumbis, qui ibi ſaluas peccatricem: tu hodie ſatias me peccatorem, & quotidie peccantem pretioſo corpore, & ſanguine tuo, me ouem errantem quæſiuiſti, dragmam perditam reperiſti; neque mirum, quia miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua. Hiſq; conſiderationibus addictus, erubeſcentià plenus, quia non correſpondebat, de diuina exultabat miſericordia, ſed de peccatis proprijs timebat, & lacrymas fundebat.

CONSIDERATIO XII.

REpetens verba Eliſabet: Ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis exultauit infans in vtero meo. Verè apparet ſancta Mater, & Virgo, quàm plena erat lingua tua Spiritu ſancto, quàm ardens cor tuum diuino igne non comburente, ſed illuminante, inde cognatam tuam Eliſabet diuino imples ardore, & lumine cœleſti; inde repleta eſt Spiritu ſancto; inde filius exultat in vtero; cũ adhuc filius tuus tuo vtero cõtinetur, maior venter tuus Domina, quàm cœli, quia

iſti

iſti illum capere non poſſunt, tu autẽ tuo gremio cõtuliſti. Verè ſermo tuus, Cæli Regina, hominum aduocata dat gratiam audientibus, igne corda accẽdit, fac vt ſentiã, & dicam: Charitas Chriſti vrget me, vt velociter curram ad dominum; detinet me, ne in mundanis defluam, impetra pro me beata mater, & Virgo. Quę ſæpius repetijt.

CONSIDERATIO XIII.

PRonuncians primum pſalmum ex ſeptẽ pœnitentialibus pluries repetijt: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: tu namque recordatus es, quoniam puluis ſumus: Tu dulcis Ieſu, vt adulteram tibi oblatam abſolueres, digito ſcribebas in terra, Phariſæis inſinuans fragilitatem peccantis feminæ, ex qua pietatem, & indulgentiam merebatur; terra namque erat, imò puluis tentationum ventis obnoxia: teſta patiens radebat ſaniem, ne malè oleret vulnera, & plagæ corporis; Recordare Domine, quod ſicut lutum feceris me, ne tanquam vas figuli confringas me. Memorare quæ mea ſubſtantia; terra namque eſt; te-

ſtæ

ſtæ memoria radat ſaniem, euitet, inquam; fætorem peccatorem meorũ, vt minus naribus tuis male oleat; odor thuris illum diſſipet. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Hæcque ſæpius, dicens, & plorans diuinum implorabat auxilium, ſuiſque peccatis indulgentiam.

CONSIDERATIO XIV.

VNdique tribulationibus circũdatus & ſeptus, oculos firmiter ad figurã paruuli domini, quæ erat in cubiculo, tenens, verborum Dauid meminit: Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus, ſpei meæ effectus erit, domine, exauditio tua, vt me liberes à tribulatione malorum, & dolore, quæ circũdedit me, quia te volente afflictionũ mearũ vndæ procelloſæ ſilebunt. Occurrit in meditatione translatio Caietani; quoniam te Domine ſperaui, tu reſpondebis mihi; quia tu domine audis, quando ad te directis oculis tuum auxiliũ imploramus, qui per Prophetam dicis: Nõ taceat pupilla oculi tui, nedum plena lacrymis, quia exaudiuit do-

dominus vocem fletus mei; verùm etiam humiliter aſpiciens, & amanter ad te domine ſunt oculi mei, ſuſpiciẽtes in excelſum, vim patior, reſponde pro me; & ſi tu me domine reſpicies, flebo ego iniquitates meas, quia tu reſpexiſti Petrum, & fleuit amarè: & ceſſabunt afflictiones, & anguſtiæ, quæ circumdant me. Adiuua me Domine.

CONSIDERATIO XV.

SVam vitam ærumnoſam, & tribulationibus plenam animo revolvens, verborum meminit Dauid: Lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meã leuaui. Leua animam ſerui tui, ærumnis afflictam, & mærentẽ, & conſolatione tua deiectam erige: in te enim ſperaui, & à te auxilium expectaui, & dũ vixero, expectabo; & proinde quod ſpero, accipere vehementer ſpero, & æquiſſimũ puto, quod eſt cordis lætitia, vt tibi lætus, hilariſque ſeruiam, in te enim lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus: Tibi dico Domine animã meam, vitamque meam tanquàm donariũ, & munus tibi dedico,

dico, accipe munuſculum voluntatis meæ, ne à tribulationibus me proſterni permittas; ſis tu adiutorium meũ, qui ſaluos facis ſperantes in te; quia reſpiciens fui ad adiutoriũ hominum, & non erat: & proinde memoratus sũ miſericordiæ tuæ, & miſerationis tuę, quæ à ſeculo ſunt.

CONSIDERATIO. XVI.

IMplorans ſuis peccatis diuinam miſericordiã, videns eorũ pondus, & mulitudiné, repetebat ſæpius: Quid opponam ad peccata mea tàm magna, & grauia, niſi te Domine: tu Domine Deus miſerator, & miſericors, qui vt faceres miſericordiam, auertis faciem tuam à peccatis noſtris, & te ipſum reſpicis, vt parcas, te ipſum conſideras, vt deleas. Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me; quia in me Deus meus quid vides niſi peccata, & abominationes, quæ irã tuam prouocant, & accendunt? Dicis ergo Domine, deleo iniquitates tuas propter me reſpiciens me: & dum te vides, quomodo miſericordiam tuã non videbis, ſi eam habes ad manũ, ſic continuè, vt miſe-

ra-

rationes tuæ ſint ſuper omnia opera tua: Miſericordia tua ãte oculos meos eſt, quocumque oculos verto, miſericordiam tuam video Domine, videã eam in abſolutionem peccatorum meorum; ſit ipſa quaſi nubes pluuię in tempore ſiccitatis, non nubes ſine aqua, quæ ventu circumfertur; fulgur iræ tuæ à peccatis meis continuis accẽſum ſit in pluuiã miſericordiæ; quia tu fulgura in pluuiam facis. Quæ ſæpius repetijt plorans, & flens.

CONSIDERATIO. XVII.

RECitans Pſal. 7. pœnitentiæ in verſ. illo: Et non intres in iudicium cũ ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, dum timens fleret, meminit verborũ Iſaiæ: Stemus ſimul, & quis eſt aduocatus meus accedat ad me: vbi D. Bernardus, charitate, & amore erga Dominum Redemptoré ſic inquit: Domine ſtemus ſimul, iudicemur ſimul, ò fiducia? ò amor? neſcis Bernarde, quia Dominus Ieſus conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorũ, & quomodo tu dicis, iudicemus ſimul? Mea

ſunt

sũt enim illa vulnera; humanitas Chriſti, vulnera Redemptoris, liuores, plagæ, anguſtiæ, tribulationes, pro paſſione Ieſu mecum ſint in iudicio, vbi enim talia merita pro me aduocati fũgentur officio, tribunal erit miſericordiæ, & ſic non intres in iudicio cum ſeruo tuo; non ſit iuſtitiæ tribunal, ſed miſericordiæ, quæ ſuperexaltat iudicium, quia eadem merita tua Domine mihi eſſent ad condemnationem; quia his malè vſus ſum, ut te offenderem, nimium confiſus, vt te non timerẽ: Miſericordia ergo tua Domine adiuuet me, quia tu es Deus miſericordia mea.

CONSIDERATIO. XVIII.

DVm facilitatẽ propriam cerneret in peccando, & cauſam inquireret, occurrerunt ei verba Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sũ, & nedùm conceptus, ſed genitus: Ecce in iniquitatibus genuit me; quid ergo faciet conceptus, & genitus in peccatis: inuoluta eſt quaſi pannis anima, mea, & corpus meũ peccatis; in iniquitatibus fouit me, calorem primum mi-

mihi peccata præbuere; in iniquitatibus calefecit me, veſtibus indutus non alijs, quàm peccatis in mūdū exiui; in peccatis peperit me. Quid mirum, exclamat Hieronymus, ſi cōceptus, genitus, inuolutus, calefactus, indutus peccatis, quotidie pecco, & proinde timor mortis conturbat me: Tu Domine, ſolus virtutem contra peccata conferre potes, à te peto: Quis poteſt facere mundū de immundo conceptum ſemine, nonne tu qui ſolus es? Hæcque dicens, & repetens, ſiluit.

CONSIDERATIO. XIX.

DVm afflictione torqueretur, etiā ex eo quod ſubtractæ fuerūt cōſiderationes præcedentes, & quod iacturam fecerit temporis in ſubleuando oculos, mentéque ad Deum tot diebus, tali occaſione preſſus, animo à Deo ſubleuatus, dum ad conſuetudiné bonam redire deliberat, adhùc ſperans in omnipotentia Dei, qua ſubtractas ſcripturas recuperet, verborum David meminit; Dominus ſoluit compeditos, vinculis conſtrictos reſoluit, & quis magis vinculis, cathenisq; cōſtri-

ſtrictus, quàm ego peccator; ſolue ergo me Domine, vt ad te veniam; Dominus illuminat cœcos,& qui magis cęcus, quàm peccator, qui non ſequitur te lucem verã, Dñm Ieſũ: cœcus ſum etiam Domine, quia malis,& ærumnis afflictus, quaſi in tenebris,& cœcitate dego; tu ergo Domine, qui de tribulatione liberas quaſi de cœcitate eripe me, cœcus careo lumine ſapientiæ, quia non intrat in animã maleuolam: munda ergo me à peccato meo, quia me reddes ſapientem, & illuminatũ. Tu erigis eliſos in carcere vinctos, qui compedibus curuati ſtare non poſſunt; talis ego tribulationibus, & peccatis conſtrictus, & deiectus: Et incuruauerunt animam meã: Erige me Domine, vt dicam, quòd ſanas contritos corde, & alligans contritiones eorum; cor meũ, & anima mea intimo dolore vulnerati ſunt; ſola tua manus, medice clementiſſime, Ieſu dulcis tractare,& curare poteſt alijs manibus inſanabilẽ plagam. Tu dixiſti: vt mederer contritis corde,& prædicarem captiuis indulgentiã, & clauſis apertionẽ; tu alliga contritionem cordis mei, vt dicam ſemper; Benedictum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ctum nomen Maieſtatis tuæ in ęternũ fiat fiat.

CONSIDERATIO. XX.

DVm repeteret verba Iob: Peccã-té me quotidiè, & non pœnitentem, timor mortis conturbat me, expaveſcens, quia cõſuetudinibus malis obſtrictus, & quaſi vinctus æternã mortem ſibi debitã conſiderabat, erubeſcens, quia tam ſæpe eadem peccata repetebat, dixit: Non ſum dignus videre altitudinem cœlis, quoniam irritaui iram tuã: tu Domine mitigaſti omnem iram tuam, & quomodo mitigaſti? ponens eam mediam inter miſericordias tuas, Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur: ego autem irrito, & accendo, quia tuis nixus miſericordijs te offendo ſępe Domine, ſæpe, ò pudor! ò verecũdia! dumque hæc diceret lacrymans, ecce verè paraclitus Dominus, vere conſolator, verba Dauid inſpirat: Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram aſpexit. Quis proſpicit? Dominus cæli, & terræ; vnde proſpicit? de excelſo ſancto ſuo, de ſubli-

ſublimi ſanctuario ſuo; ſed quid proſpicis Domine? alios fortè cœlos inferiores, ſed tibi proximos? quid proſpicis Solem, & Lunam, opera digitorũ tuorum? nequaquam, ſed terrã, quæ à loco ſancto tuo longè diſtat, & in ea quid reſpicis? ſanctos fortè, & amicos tuos? non; ſed peccatores, & eos, qui ſunt filij interemptorum, proximi, & hæredes mortis; quid reſpicis? quid audis? ut audiret gemitus compeditorum, qui compedibus occaſionum alligati ad te nequaquam veniunt; tu ad illos venis vt liberes, ad illos vt ſoluas, vt ſoluti dicant; Laqueus cõtritus eſt, & nos liberati ſumus.

CONSIDERATIO. XXI.

DVm horas matutinas recitaret, verſis oculis ad figuram B. Felicis Capucini, Religioſi laici, ſic ſuſpirãs intra ſe dixit ad Dominũ; Tu Deus omnipotens, qui infirma mundi eligis, vt confundas fortia. Ecce me omnibus infirmũ, hoc erit mirificare miſericordias tuas, ſi me eliges, tam vili inſtrumento vtens, omnipotentiã tuam oſtẽdes: Ego .n. minimus, quia maior pecca-

cator, minus tibi correſpondens; & hæc dicens, humiliauit ſe ſub potenti manu Dei, memor verborũ Dauid: Ego autem in miſericordia tua ſperaui.

CONSIDERATIO. XXII.

QVã dulcis es Domine, verè pius, verè miſericors, quàm libentèr miſericordiã operari, velox ad adiuuandũ peccatores, & quaſi tardus ad vindictam, & ſi exigente tua iuſtitia tàm iuſta, etiam iraſcens temperas pœnam: Miſericordia autẽ tua plena eſt terra; & quod miſericordiæ tuæ ſignum euidentius, niſi quod ſuſtines me, & das mihi tẽpus pœnitentiæ; quàm multi ad pœnitendum tempus deſiderabile non habuerunt; ego autem miſer, & habeo, & nõ perficio: vigilas Domine, vt valde mane nobiſcum exerceas miſericordiam tuam; adiuuas nos Deus mane diluculo momento quo aurora reſpicit; ad reſpicere diluculi, miſericordiam operaris in nos; imo expectas quaſi anxius miſerendi horam; aperi mihi, exclamas, ſoror mea ſponſa, quia caput meũ plenũ eſt rore, & cincinni mei guttis noctis.

Digitized by Google

ctis. Tu qui imples cœlum, & terrã, locum petis in anima creaturæ, & quaſi ſuſtines impatiens recipientis moram: quis tibi grates rependet debitas? quis te non amet? ad puniendum inobediẽtiam primi noſtri parentis, quã tardus accedis ad auram poſt meridiẽ; & ſi punis, illuminas, vt etiam in ira, & furore tuo miſericordiam exerceas; quia ad momentũ eſt indignatio tua, & miſericordia in voluntate tua. Quæ pluriès repetens, circumdatus eſt lætitia, & benedixit Dominum lætus, & hilaris.

CONSIDERATIO. XXIII.

AVdiens verba Euangelij: Miſericordià motus, quia vidiſſet multitudinem magnam, exclamauit, & dixit; O bone Ieſu, dulcis & rectus, quàm bonus, quàm bonus his, qui recto ſunt corde! Iſti affectus quid demonſtrant Domine, niſi veritatem naturæ humanæ, quam aſſumpſiſti? debuit per omnia fratribus aſſimilari; hinc vidés fructum Apoſtolicæ prædicationis, exultaſti in Spiritu ſancto, contra Iudaicã incredulitatem indignaris; contra Tẽ-

pli violatores exardeſcis; quia zelus domus tuæ comedebat te; deſiderio patiendi pro me coarctaris: baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, donec perficiam? quando Lazarũ reſuſcitas, infremuiſti ſpiritu, ingemuiſti, & turbatus fuiſti; omnes tales motus non perturbati animi ſunt ſigna, ſed docentis magiſtri; ego autem dico, amantis ſunt. Sed quid faciam miſer, quia non amo; tu videns famelicã turbam pauiſti, paſce etiam me eſurientẽ, quid eſurio, niſi te verum panẽ? quid ſitio, niſi te vinum exultationis, & lætitiæ? ſanguinem tuum, dico: ſatia me, & inebria gratia tua, quia bibẽs ex ea, non ſitiet iterũ; & ſic pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Sic dicens obmutuit.

CONSIDERATIO XXIV.

DVm petijſſet cœlum orans, erubeſcens, & confuſus; ſic intra ſe dicebat; Quid miſer peto; quomodo cælum intrabo, non habens veſtẽ nuptialem charitatis? quomodo Deum aſpicere valeam? quomodo frui? quomodo Matrem contempler? quomodo

do

Digitized by Google

do Angelorum, & Beatorum ſpirituũ audeo conuerſationem? quomodo à terra in cælum ſaltem infans, & ſine viribus? Tunc conuerſus ad Sacramẽtum, ibique mentis oculis aſpiciẽs Dominum Ieſum, recogitauit, & dixit; Tu es Domine gigas, qui exultaſti ad currendam viam; ſi tu ergo me paſcis te ipſo, & in me eris, & ego in te, ſuper brachia tua feres me, vt ad cœlũ perueniam; tibi Domine Deus ſecundũ propriam naturam conuenit dare; liberalitas tua eſt virtus propria, quia ſolus te communicas, ſicut fons bonitatis; & qui maior effectus bonitatis, & largitionis, quàm te veſcendum dare peccatori? Si ergo te das, quare non dabis cælum, quod eſt opus manuum tuarum? Verè totus mihi datus, & in meos vſus expenſus, ò bone Saluator, quis mihi det te ſemper contemplari? quis det, te ſemper fortiùs, & vehemẽtiùs diligere? quia non eſt qui ſimilis ſit tibi, munerator copioſiſſime, remunerator æquiſſime, gratis reſpicis humiles, & miſericorditer ſaluas peccatores; ſi tu ergo eris mecum, ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Accepit ſacramentum, & ſiluit.

CONSIDERATIO XXV.

SEcum hæc recogitabat: Tu domine ambulans vocas nos, ſicut vocaſti germanos piſcatores: de te ſponſa dixit, quòd Murenulas aureas facis nobis vermiculatas argento. Auribus ornamentũ præſtas, admonitiones ſcilicèt, & inſpirationes, ſed facis nobis murenulas in punctis: quia vocationes tuæ vermibus, & punctis contextę ſunt, quia non reſpondentes in pũcto vocationis à vermibus conſcientiæ laniantur, laniatus, & ictus iſti damnatos domine in æternum cruciant, quia vermis eorũ non morietur: Quãdo ergo domine Deus miſericors, & miſerator plenè miſericordiam, & pietatẽ tuã erga me exaltabo? qui totiès vocatus renui, & tempus das mihi, & iterùm, atque iterũ vocas. Tu vis me omnibus vigilare momentis, quia vis ianuã mentis meæ ſemper inuenire patentẽ: ego autem miſer factus ſum ſicut homo non audiens. Quàm magna eſt, Domine miſericordia tua; tu quando excitas, & inſpiras licèt tranſiens, illuminas, vt peccator videat, in quo

quo malo ſit, & tenebras peccatorum cognoſcat. Ego peccator, dum non correſpondeo, & remaneo in peccatis, quaſi ſpiritum extinguo, & in tenebris ambulo. Quandò vocas, & inſpiras, manũ extendis, vt alleues. Vocaui, & renuiſtis, extendi manũ meã, & non fuit, qui aſpiceret. Extendis, Domine, manũ, quia sẽper paratus es hominẽ leuare à peccato, dum tamen faciat, quod in ſe eſt: heù me miſerũ, quid reſpondebo tibi domine in die mortis, & iudicij? Tu in cruce extẽdis manũ, vt me deducas ad gloriam; ego autem quaſi cathenis vinctus, in peccatis remaneo: tu inſpirans, & vocans domine, quaſi pater admones prodigũ filium: Aperi mihi ſponſa, ſed extraneis claude, claude ſæculo, claude mundo; aperi mihi, noli aperire aduerſario, nec des locum diabolo, noli coarctari, ſed dilatare, & implebo te: Ego autem miſer, tanquàm ſurdus nõ audio, & cor non aperio: vt te recipiam: Tu tandẽ vocans excitas, & reprehendis, crucias, vt ſanes, corpus occidis, vt anima viuat: quid eſt homo, quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? & inter homines

Digitized by Google

quid ſum ego vilis, & ingratus, ſed ne quæſo vincant miſericordiam tuam peruerſitates meæ, ingratitudo mea, iterùm atque iterùm adiuua me, donec reſpondeam, quia tu domine longanimis es, & multum miſericors, & præſtabilis dominus Deus noſter. Quæ contrito, & humili corde repetijt, bonitatem Dei admirans, & laudans, & diligentiam diuinam in conuerſione peccatorum.

CONSIDERATIO XXVI.

EXſtimulans corpus ſuum ad amãdum creatorem, ſic intra ſe dicebat: Nonnè vides? nonne conſideras, quàm breuis eſt hominum vita? & in ſepulcro nũquid narrabit aliquis miſericordiam domini? & ſi anima perueniet ad ſalutis locũ ex infinita Dei miſericordia, corpus tuum in ſepulchro erit vſque ad vniuerſalem reſurrectionem, & hoc tempore nec amare, nec laudare poterit Creatorẽ: ama ergo, & lauda, dùm potes; ardenter ama, quia totum debes Creatori, Redemptori, Conſeruatori; Ama, ama ſaltèm te amantem, quia ipſe prior di-

le-

lexit nos, ipſe Dominus, & Deus amat te, vt tu ipſum ames; & quid eſt ipsũ amare, niſi eius mandata cuſtodire? Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & diligens cuſtodies: cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer; effectus ergo amoris eſt legis obſeruantia: & ſi anima tua ſoluta à corpore amabit Creatorem, & laudabit, non eris tu, qui ex anima, & corpore conſtas integraliter, & ſi totus Dei es, & totus in hac vita eris breuitèr, dilata amorem tuum intenſiuè; vt breui extenſione ſuppleas; nõnè audis, quòd pũctus eſt vita præſens; & nunc quæ eſt expectatio mea: cunctis diebus quibus nunc milito? Cogita ergo inſtantem mortem, & punctũ eſſe quod viuis, & adhùc puncto minus, & ex cogitatione exalta te, vt intenſiùs ames, & fortiùs diligas; Tu Domine, qui vocaris Amor, fac vt te amem, te diligam, tibi ſeruiam, & mandata tua cuſtodiam.

CONSIDERATIO XXVII.

INuehens in cor ſuum; quia adhùc terrena deſiderabat, verba Dauid

repetijt; Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore; applicare bono ſua deſideria cupiebat: quare anima mea tali non flagras deſiderio: ſi deſiderare & aſſe. qui idem eſt? Peruenerat (inquit Auguſtinus) ad id, quod concupierat; non enim aliquid impedit, quominùs habeãtur iuſtificationes Dei, niſi quia non deſiderantur: Quis mihi det, vt rugiam à gemitu cordis mei, quia adhùc diligo vanitatem, & quæro mendacium, deſiderijs, inquam, rerũ terrenarum alligatus, & quaſi compedibus preſſus, Te ipſum domine Deus, Saluator meus deſiderabas, quando duplicatis verbis dixiſti; Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum; indicans ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum, in quo tu realiter, & corporaliter eras; neque mirũ, quia indignum erat, vt quid aliud concupiſceres; quare ergo tàm miſerabilia ſunt deſideria mea domine, & aliud peto, aliud deſidero, quàm te: Deſiderabilia mea verſa ſunt in ruinam, immuta bone Ieſu cor meum, & deſiderium meũ, vt non aliud cupiam, nõ aliud deſiderem, niſi te, repetam ſem-
per;

per; Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pas mea Deus in æternũ. Quæ ſæpius dixit, oculis ad Deũ eleuatis.

CONSIDERATIO XXVIII.

DVm recordaretur verborũ felicis Publicani, dùm inquit: Deus propitius eſto mihi peccatori, ex intimo cordis tales exibant cogitationes: Cui magis cõgruunt hęc verba, quàm mihi? qui nihil in me inuenio, niſi peccata; quò magis me conſidero, eò magis me inuenio peccatorem, quomodo ergo vocer, niſi peccator, & ſi talis, quare non ſedeo, vt me iudicem, vt tu domine deſinas iudicare; imò quid iudicem, ſi abſque iudicio reus inuenior. Reminiſcere Deus omnipotens, quòd tu, tanquam ſi fuiſſes reus, damnatus fuiſti, & in cruce paſſus, & quare domine, niſi vt liberaretur reus, tecum domine: accuſo peccata mea, vt à te corripiar, & correptus abſoluar; benè video domine, quia non vehementèr accuſo, non confundor, nõ erubeſco, ſed cognoſco me peccatorẽ; fac Domine, vt ſic me humiliem, vt ad

me accedas, qui in altis habitas, & nihilominus ab erigentibus ſi fugis, & deſcendis ad humiliantes ſe? quis mihi tribuat, vt ſic deſcendam ad accuſationem meam, vt iuſtificatus deſcendam: iudicium, quod contra me facio, ſic fiat domine, vt deleat iniquitates, & peccata mea, ſurgam, poſtquàm ſedero; ſed ſic ſurgam, vt tibi miniſtrem, vt tibi ſeruiam, & ſic ſeruiam, vt ad te perueniam; ſic me domine dijudicem, vt à te non dijudicer; te domine iudicem expaueſco, ſed Saluatorem habere ſuſpiro; da, mi domine dulcis Ieſu, donum fletus, & lacrymarũ, quæ abſtergere valeant maculas peccatorũ meorum; hæcque repetens, hiſque immorans cæpit Roſarium.

CONSIDERATIO XXIX.

DVm ſederet in cubiculo, maximo æſtuans calore, mortis memor ad Deum verſus, ſic cogitabat; Tu domine, de quo dicitur; Lætabitur dominus in operibus ſuis, ſuper Lazarũ mortuum fundis lacrymas, quia mortis non eras auctor; non enim de eo fleres, quòd feciſſes; inuidia enim diaboli

boli mors introiuit; tu enim immortalem creaueras hominem, ille peccãdo mortẽ ſibi cõparauit. Adam vbi es? exclamas Creator, & miſericors, quaſi diceres, quò te peccatum perduxit? quò perueniſti miſer? vbi eſt decor, in quo creaui te? vbi gratia, qua te ditaueram? vbi immortalitas, quã dederam, quàm te diuerſum reddidit peccatum tuum? vbi es? quò perueniſti? quò culpa tua te deiecit? quò te diaboli inuidia pertraxit? vbi manuum mearũ artificiũ, vbi regni mei imago nuper depicta? Quando domine dixiſti, Vbi poſuiſtis eum: & ſorores reſponderunt; Veni, vide: tunc lacrymatus es; ſanum enim Lazarum reliqueras, & inueneras mortuum; ſic primũ parentem immortalem, creaturarum dominum in paradiſo voluptatis poſueras, ſed breui interuallo mortalem, peccati ſeruum, & paradiſo indignum inuenis, inde ipſum vocas, quaſi compatiens tuæ creaturæ ærumnis. Quis hæc conſiderans, non te benedicit in æternum? tu enim mortem, quã nos nobis ipſis comparauimus, propria morte vitalem reddiſti; per eam enim venimus ad te, ſic non mortem, ſed

mortis cauſam, peccatũ, inquam, lacrymabor, ſuper meis peccatis fletum emittam, ſed quomodo plangam vtilitèr, niſi à te veniat fletus? concede mihi domine lacrymas, de quo dictũ eſt; Cibabis nos pane lacrymarum, quia ſi bene lugeam, conſolabor.

CONSIDERATIO XXX.

MAErore preſſus, quid faciam, inquit, vt alleuer. Et dum ad dominum oculos eleuat mentis, recordatus eſt verborum Dauid: Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi: Et quid edã, domine, niſi te, vt viuificet, & hilari ſim animo, & corde? Tu dixiſti; Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam in vobis. Neque ſolùm de æterna vita loqueris, ò bone Ieſu; verùm etiam de gaudio, & lætitia, quo perfunditur, & repletur anima, dum te recipit: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt dominus; ſic namque mæſta corda, quæ quaſi mortua ſunt, quodammodo viuificantur,

& re-

& reuiuiſcunt,quia tu domine vita es, & quare, cum eſſes vita, morti tradiſti te? niſi vt populum tuũ vitæ redderes iam ex peccato mortuũ. Quis tanti beneficij memor non continuo hilareſcit? ſed quales erunt edentes, vt laudent, & viuificentur? niſi pauperes, tui Domine ſimiles, qui humiliaſti temetipſum, factus obediens vſque ad mortem: iſti, domine,edent,& ſaturabuntur, maxima lætitia tanquã ſagina repleti, laudabunt: quia hoc eſt ſacrificiũ laudis, quo honorificamus te, & ibi iter inuenient, quo perueniant ad te, quia tu es via, ò dulcis Ieſu, tu terminus deſideriorũ hominum, viam te facis, vt ad te perueniamus,tu nos conducis,& paſcis,& proprio corpore, & ſanguine tanquã dulci viatico coagmentas. Quis hæc conſiderans dulcedine non repleatur, & induetur veſtibus iucunditatis. Ad te, domine,veniam, vt ſatier; ſed vt veniam, trahe me, vt dicã: in odoré vnguentorũ tuorũ curremus. Quibus conſideratis,cæpit Roſarium B.M.V.

CON-

CONSIDERATIO XXXI.

QVā benè, Domine, qui illuminas hominē, video, quòd tu es proprius animæ locus; extra te nō datur viuere, & ſi viuit homo prolixè, potiùs moritur, quàm viuit. In terreſtri paradiſo hominem poſt peccatum vocas, Adam vbi es? Non de loco, ſed de ſtatu interrogas, quia peccantem ipſum ita extra te vides, vt quaſi non inuenias; rectè dicitur illi, vbi es? quia videlicèt mouit pedem ſuum, & in loco ſuo non eſt: locus enim hominis Deus eſt, extra quem nuſquàm bene eſt: vbi es Adam? vbi es? quaſi dicas, quò te perduxit peccatum, extra locū tuum, extra ſcilicèt ſtatum iuſtitię originalis, & gratiæ, in quo creaui te; nec cognoſcebat eum ampliùs locus eius, ideſt, tu Deus eius: ſuper hoc domine ſuper hoc expauit cor meum, quia amotum eſt de loco ſuo; turbatum eſt cor meum, auulſum eſt, ſubſilijt, quomodo dolet membrum, ſi à loco fuerit amotum, vbi natura poſuit; abeſt quies, niſi reponatur, neque vllæ cōſolationes extra repoſitionem iuuant,

quia

quia dum membrum patitur, condolere habet corpus vniuerſum: qualis ergo dolor erit, dum anima à vi peccati à ſuo loco, qui es tu Deus, extrahitur, niſi reponatur;& quis reponet, niſi tu medice cæleſtis, & quomodo facis hoc? ad me venis Domine, & dũ paſcis me tuo corpore, & ſanguine, in me manes, & ego in te; proprium tui corporis, & ſanguinis eſt, ſumentem in te manentem facere. Non expaueſcat ergo cor meum, quia repoſitum eſt in loco ſuo, ſcilicèt in te Deus meus: ita Domine maneam, vt nunquã amouear; ita enim ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meũ. Quæ dum recogitaret, cæpit Roſariũ B.V.

CONSIDERATIO. XXXII.

QVàm benè video Domine (corde exclamauit) quia lætantium habitatio eſt in te; tu es verè bone Ieſu, nobis domus refugij; in templo tuo, quod eſt corpus tuum, quod aſſumpſiſti, omnes dicent gloriam; in eo non ſolùm tuti, ſed & læti ſumus, ab incurſu, & infeſtatione hoſtium erepti, alacri

CONSIDERATIO XXV.

SEcum hæc recogitabat: Tu domine ambulans vocas nos, ſicut vocaſti germanos piſcatores: de te ſponſa dixit, quòd Murenulas aureas facis nobis vermiculatas argento. Auribus ornamentũ præſtas, admonitiones ſcilicèt, & inſpirationes, ſed facis nobis murenulas in punctis: quia vocationes tuæ vermibus, & punctis contextę ſunt, quia non reſpondentes in pũcto vocationis à vermibus conſcientiæ laniantur, laniatus, & ictus iſti damnatos domine in æternum cruciant, quia vermis eorũ non morietur: Quãdo ergo domine Deus miſericors, & miſerator plenè miſericordiam, & pietaté tuã erga me exaltabo? qui totiès vocatus renui, & tempus das mihi, & iterùm, atque iterũ vocas. Tu vis me omnibus vigilare momentis, quia vis ianuã mentis meæ ſemper inuenire patenté: ego autem miſer factus ſum ſicut homo non audiens. Quàm magna eſt, Domine miſericordia tua; tu quando excitas, & inſpiras licèt tranſiens, illuminas, vt peccator videat, in quo

quo malo ſit, & tenebras peccatorum cognoſcat. Ego peccator, dum non correſpondeo, & remaneo in peccatis, quaſi ſpiritum extinguo, & in tenebris ambulo. Quandò vocas, & inſpiras, manũ extendis, vt alleues. Vocaui, & renuiſtis, extendi manũ meã, & non fuit, qui aſpiceret. Extendis, Domine, manũ, quia sẽper paratus es hominẽ leuare à peccato, dum tamen faciat, quod in ſe eſt: heù me miſerũ, quid reſpondebo tibi domine in die mortis, & iudicij? Tu in cruce extẽdis manũ, vt me deducas ad gloriam; ego autem quaſi cathenis vinctus, in peccatis remaneo: tu inſpirans, & vocans domine, quaſi pater admones prodigũ filium: Aperi mihi ſponſa, ſed extraneis claude, claude ſæculo, claude mundo; aperi mihi, noli aperire aduerſario, nec des locum diabolo, noli coarctari, ſed dilatare, & implebo te: Ego autem miſer, tanquàm ſurdus nõ audio, & cor non aperio: vt te recipiam: Tu tandẽ vocans excitas, & reprehendis, crucias, vt ſanes, corpus occidis, vt anima viuat: quid eſt homo, quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? & inter homines

quid ſum ego vilis, & ingratus, ſed ne quæſo vincant miſericordiam tuam peruerſitates meæ, ingratitudo mea, iterùm atque iterùm adiuua me, donec reſpondeam, quia tu, domine longanimis es, & multum miſericors, & præſtabilis dominus Deus noſter. Quæ contrito, & humili corde repetijt, bonitatem Dei admirans, & laudans, & diligentiam diuinam in conuerſione peccatorum.

CONSIDERATIO XXVI.

EXſtimulans corpus ſuum ad amãdum creatorem, ſic intra ſe dicebat: Nonnè vides? nonne conſideras, quàm breuis eſt hominum vita? & in ſepulcro nũquid narrabit aliquis miſericordiam domini? & ſi anima perueniet ad ſalutis locũ ex infinita Dei miſericordia, corpus tuum in ſepulchro erit vſque ad vniuerſalem reſurrectionem, & hoc tempore nec amare, nec laudare poterit Creatoré: ama ergo, & lauda, dùm potes; ardenter ama, quia totum debes Creatori, Redemptori, Conſeruatori; Ama, ama ſaltèm te amantem, quia ipſe prior di-

le-

lexit nos, ipſe Dominus, & Deus amat te, vt tu ipſum ames; & quid eſt ipsū amare, niſi eius mandata cuſtodire? Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & diligens cuſtodies: cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer; effectus ergo amoris eſt legis obſeruantia: & ſi anima tua ſoluta à corpore amabit Creatorem, & laudabit, non eris tu, qui ex anima, & corpore conſtas integraliter, & ſi totus Dei es, & totus in hac vita eris breuitèr, dilata amorem tuum intenſiuè; vt breui extenſione ſuppleas; nōne audis, quòd pūctus eſt vita præſens; & nunc quæ eſt expectatio mea: cunctis diebus quibus nunc milito? Cogita ergo inſtantem mortem, & punctū eſſe quod viuis, & adhùc puncto minus, & ex cogitatione exalta te, vt intenſiùs ames, & fortiùs diligas; Tu Domine, qui vocaris Amor, fac vt te amem, te diligam, tibi ſeruiam, & mandata tua cuſtodiam.

CONSIDERATIO XXVII.

INuehens in cor ſuum; quia adhùc terrena deſiderabat, verba Dauid

repetijt; Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore; applicare bono ſua deſideria cupiebat: quare anima mea tali non flagras deſiderio: ſi deſiderare & aſſequi idem eſt? Peruenerat (inquit Auguſtinus) ad id, quod concupierat; non enim aliquid impedit, quominùs habeātur iuſtificationes Dei, niſi quia non deſiderantur: Quis mihi det, vt rugiam à gemitu cordis mei, quia adhùc diligo vanitatem, & quæro mendacium, deſiderijs, inquam, rerũ terrenarum alligatus, & quaſi compedibus preſſus, Te ipſum domine Deus, Saluator meus deſiderabas, quando duplicatis verbis dixiſti; Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum; indicans ſacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum, in quo tu realiter, & corporaliter eras; neque mirũ, quia indignum erat, vt quid aliud concupiſceres; quare ergo tàm miſerabilia ſunt deſideria mea domine, & aliud peto, aliud deſidero, quàm te: Deſiderabilia mea verſa ſunt in ruinam, immuta bone Ieſu cor meum, & deſiderium meũ, vt non aliud cupiam, nõ aliud deſiderem, niſi te, repetam ſemper;

per; Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pas mea Deus in æternũ. Quæ ſæpius dixit, oculis ad Deũ eleuatis.

CONSIDERATIO XXVIII.

DVm recordaretur verborũ felicis Publicani, dùm inquit: Deus propitius eſto mihi peccatori, ex intimo cordis tales exibant cogitationes: Cui magis cõgruunt hęc verba, quàm mihi? qui nihil in me inuenio, niſi peccata; quò magis me conſidero, eò magis me inuenio peccatorem, quomodo ergo vocer, niſi peccator, & ſi talis, quare non ſedeo, vt me iudicem, vt tu domine deſinas iudicare; imò quid iudicem, ſi abſque iudicio reus inuenior. Reminiſcere Deus omnipotens, quòd tu, tanquam ſi fuiſſes reus, damnatus fuiſti, & in cruce paſſus, & quare domine, niſi vt liberaretur reus, tecum domine: accuſo peccata mea, vt à te corripiar, & correptus abſoluar; benè video domine, quia non vehementèr accuſo, non confundor, nõ erubeſco, ſed cognoſco me peccatoré; fac Domine, vt ſic me humiliem, vt ad

me accedas, qui in altis habitas, & nihilominus ab erigentibus ſi fugis, & deſcendis ad humiliantes ſe? quis mihi tribuat, vt ſic deſcendam ad accuſationem meam, vt iuſtificatus deſcendam: iudicium, quod contra me facio, ſic fiat domine, vt deleat iniquitates, & peccata mea, ſurgam, poſtquàm ſedero; ſed ſic ſurgam, vt tibi miniſtrem, vt tibi ſeruiam, & ſic ſeruiam, vt ad te perueniam; ſic me domine dijudicem, vt à te non d judicer; te domine iudicem expauеſco, ſed Saluatorem habere ſuſpiro; da, mi domine dulcis Ieſu, donum fletus, & lacrymarũ, quæ abſtergere valeant maculas peccatorũ meorum; hæcque repetens, hiſque immorans cæpit Roſarium.

CONSIDERATIO XXIX.

DVm ſederet in cubiculo, maximo æſtuans calore, mortis memor ad Deum verſus, ſic cogitabat; Tu domine, de quo dicitur; Lætabitur dominus in operibus ſuis, ſuper Lazarũ mortuum fundis lacrymas, quia mortis non eras auctor; non enim de eo fleres, quòd feciſſes; inuidia enim diaboli

boli mors introiuit; tu enim immortalem creaueras hominem, ille peccãdo mortẽ ſibi cõparauit. Adam vbi es? exclamas Creator, & miſericors, quaſi diceres, quò te peccatum perduxit? quò perueniſti miſer? vbi eſt decor, in quo creaui te? vbi gratia, qua te ditaueram? vbi immortalitas, quã dederam, quàm te diuerſum reddidit peccatum tuum? vbi es? quò perueniſti? quò culpa tua te deiecit? quò te diaboli inuidia pertraxit? vbi manuum mearũ artificiũ, vbi regni mei imago nuper depicta? Quando domine dixiſti, Vbi poſuiſtis eum: & ſorores reſponderunt; Veni, vide: tunc lacrymatus es; ſanum enim Lazarum reliqueras, & inueneras mortuum; ſic primũ parentem immortalem, creaturarum dominum in paradiſo voluptatis poſueras, ſed breui interuallo mortalem, peccati ſeruum, & paradiſo indignum inuenis, inde ipſum vocas, quaſi compatiens tuæ creaturæ ærumnis. Quis hæc conſiderans, non te benedicit in æternum? tu enim mortem, quã nos nobis ipſis comparauimus, propria morte vitalem reddiſti; per eam enim venimus ad te, ſic non mortem, ſed

 mor-

mortis cauſam, peccatū, inquam, lacrymabor, ſuper meis peccatis fletum emittam, ſed quomodo plangam vtiliter, niſi à te veniat fletus? concede mihi domine lacrymas, de quo dictū eſt; Cibabis nos pane lacrymarum, quia ſi bene lugeam, conſolabor.

CONSIDERATIO XXX.

MAErore preſſus, quid faciam, inquit, vt alleuer. Et dum ad dominum oculos eleuat mentis, recordatus eſt verborum Dauid: Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt dominum, qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi: Et quid edā, domine, niſi te, vt viuificet, & hilari ſim animo, & corde? Tu dixiſti; Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinē, non habebitis vitam in vobis. Neque ſolùm de æterna vita loqueris, ò bone Ieſu; verùm etiam de gaudio, & lætitia, quo perfunditur, & repletur anima, dum te recipit: Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt dominus; ſic namque mæſta corda, quæ quaſi mortua ſunt, quodammodo viuificantur, & re-

& reuiuiſcunt, quia tu domine vita es, & quare, cum eſſes vita, morti tradidiſti te? niſi vt populum tuũ vitæ redderes iam ex peccato mortuũ. Quis tanti beneficij memor non continuo hilareſcit? ſed quales erunt edentes, vt laudent, & viuificentur? niſi pauperes, tui Domine ſimiles, qui humiliaſti temetipſum, factus obediens vſque ad mortem: iſti, domine, edent, & ſaturabuntur, maxima lætitia tanquã ſagina repleti, laudabunt: quia hoc eſt ſacrificiũ laudis, quo honorificamus te, & ibi iter inuenient, quo perueniant ad te, quia tu es via, ò dulcis Ieſu, tu terminus deſideriorũ hominum, viam te facis, vt ad te perueniamus, tu nos conducis, & paſcis, & proprio corpore, & ſanguine tanquã dulci viatico coagmentas. Quis hæc conſiderans dulcedine non repleatur, & induetur veſtibus iucunditatis. Ad te, domine, veniam, vt ſatier; ſed vt veniam, trahe me, vt dicã: in odoré vnguentorũ tuorũ curremus. Quibus conſideratis, cæpit Roſarium B.M.V.

CON-

CONSIDERATIO XXXI.

QVã benè, Domine, qui illuminas hominẽ, video, quòd tu es proprius animæ locus; extra te nõ datur viuere, & ſi viuit homo prolixè, potiùs moritur, quàm viuit. In terreſtri paradiſo hominem poſt peccatum vocas, Adam vbi es? Non de loco, ſed de ſtatu interrogas, quia peccantem ipſum ita extra te vides, vt quaſi non inuenias; rectè dicitur illi, vbi es? quia videlicèt mouit pedem ſuum, & in loco ſuo non eſt: locus enim hominis Deus eſt, extra quem nuſquàm bene eſt: vbi es Adam? vbi es? quaſi dicas, quò te perduxit peccatum, extra locũ tuum, extra ſcilicèt ſtatum iuſtitię originalis, & gratiæ, in quo creaui te; nec cognoſcebat eum ampliùs locus eius, ideſt, tu Deus eius: ſuper hoc domine ſuper hoc expauit cor meum, quia amotum eſt de loco ſuo; turbatum eſt cor meum, auulſum eſt, ſubſilijt, quomodo dolet membrum, ſi à loco fuerit amotum, vbi natura poſuit; abeſt quies, niſi reponatur, neque vllæ cõſolationes extra repoſitionem iuuant,

quia

quia dum membrum patitur, condolere habet corpus vniuerſum: qualis ergo dolor erit, dum anima à vi peccati à ſuo loco, qui es tu Deus, extrahitur, niſi reponatur;& quis reponet, niſi tu medice cæleſtis, & quomodo facis hoc? ad me venis Domine, & dũ paſcis me tuo corpore, & ſanguine, in me manes, & ego in te; proprium tui corporis, & ſanguinis eſt, ſumentem in te manentem facere. Non expaueſcat ergo cor meum, quia repoſitum eſt in loco ſuo, ſcilicèt in te Deus meus: ita Domine maneam, vt nunquã amouear; ita enim ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meũ. Quæ dum recogitaret, cæpit Roſariũ B.V.

CONSIDERATIO. XXXII.

QVàm benè video Domine (corde exclamauit) quia lætantium habitatio eſt in te; tu es verè bone Ieſu, nobis domus refugij; in templo tuo, quod eſt corpus tuum, quod aſſumpſiſti, omnes dicent gloriam; in eo non ſolùm tuti, ſed & læti ſumus, ab incurſu, & infeſtatione hoſtium erepti, alacri

cri voce canimus tibi laudes; ſub vmbra tua, ſicut dixit ſponſa, ſedimus, quē deſiderauimus; quia tu appellaris deſideratus cunctis Gentibus, & in aduentu tuo repleta eſt gloria domus Domini, de fontibus tuis hauriemus aquas in gaudio; Laudabimus ſcilicèt te perpetuo carmine pro accepta ſalute, cātabimus, & pſallemus virtutes tuas. Vnde igitur lætitia? vnde gaudium? niſi à te, quia tu es Deus Saluator meus: Abs te ergo, & ſine te non erit gaudiū; quid mirū, ſi anima mea ad te ſitijt fōtem verum, ad te clamat, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam; ſed ego venire non valeo, niſi tu venias ad me, diſcedere à te valeo miſer, & pluriès diſceſſi, nè faſtidias domine accedere ad me, & ſi diſceſſi à te, ne vincat ingratus miſericordem: quære, quære ſeruum tuum, qui errauit ſicut ouis, quæ perijt, ſentiat Domine anima mea virtutē miſericordiæ tuæ; veni Domine ad me, & ſic venias, vt ego te recipiam, & in te iucunder: & & gaudeam, ſed exultem cum tremore, nè te iterùm perdam. Quibus conſideratis cępit Roſarium B. V.

CON-

CONSIDERATIO. XXXIII.

OCulis mentis ad Saluatorem Dominum conuerſus ſic dixit: Tu domine paſcis nos, tu domine alis nos, & quomodo? niſi tuo corpore, & ſanguine pretioſo! amorem tuũ homini demonſtrat, dum creas, dum redimis, dum conſeruas, dũ prouides, dum cœlum promittis, hæc Patris ſunt: dum tamen alis, dum paſcis, matrem te demonſtras, quia ſanguine tuo, quaſi lacte paſcis; vbera tua domum noſtrã facis, & in hoc amoris exceſſum (ſi dici liceat) demonſtras: Deſideriũ ſponſæ adimples; illa enim dicebat: Quis mihi det te fratrem meũ ſugentẽ vbera matris meæ, quia non datur charitatis maior effectus, nec deliciarum affluentior locus; Torrente namque deliciarum potas nos; tu enim es fluminis impetus, qui lætificas ciuitatẽ Dei: Tu domine mater, & nutritor es, quia propria nos carne paſcis pro cibo, & tuum pro potu ſanguinem propinas: ò felix anima, quæ ita recepit, vt digna ſit paſci; ſed quomodo paſcar ego, qui temporaliũ affectuum acce-

do

do plenus; immuta Domine palatum cordis mei; exhauri à corde meo quicquid non es tu; vacuum ſit cor meum, vt dignè impleatur; fiducialiter domine loquor, quia fortitudo mea tu es, & factus es mihi in ſalutem; & ſi mihi non eſſes factus, quare factus? Hæc cõtemplans, cæpit inuocare auxiliũ Beatæ Virginis, recitans Roſarium.

CONSIDERATIO. XXXIV.

AD figuram Saluatoris infantis verſis oculis dixit: Verè Simon ſenex te amplectens paruulum, agnoſcens magnum, exclamauit: Nunc dimittis ſeruum tuum in pace; quare Simeon? quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: In te, nomine ſanctę Eccleſiæ lætabatur Anna: quia lætata ſũ in ſalutari tuo: Te antiqui Patres ſalutare expectauerunt; Anxius de te Propheta Rex exclamabat: Redde mihi lætitiã ſalutaris tui: In Deo Ieſu meo, ſalutari meo, exultabat Habacuc: In ortu tuo, canit Iſaias, videbunt omnes fines terrę ſalutare Dei; ſic te mater tua appellauit in cãtico; Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo,

Ie-

Ieſus meus, idem es, quod ſalutare; Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri. Sis ergo mihi ſalutare, quia infirmus sũ; nè excandeſcas medice in infirmũ, qui multa variarũ febre cupiditatum fræneticus contra te ſalutare meum inſurrexi, à ſalutare fugiens, & mortẽ requirens; tolle febrem, tolle fræneſim domine, vt à te ſalutem accipiam, ſanus te amem, in te exultem, & canam lætus: Ieſus omne bonum, quia tu es vita, reſurrectio, lux vera, via, ſapientia, & omniũ bonorum inexauſtus theſaurus, ideo pulchros vocat pedes Iſaias, annunciantis pacem annunciantis bonum, quod totum es tu. Quæ conſiderans, ſiluit.

CONSIDERATIO. XXXV.

AD Deũ verſus exclamauit: Tu es dominator dominus, Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis; ac verax; ſi ergo tui propriũ eſt miſereri, & parcere; exerce erga me peccatorẽ miſericordiam, quam tibi ſicut propriã adſcripſiſti: benè video, domine, peccata mea; ſed etiã ſcio, quò potens ſis ea delere, neque

alius

alius poteſt extra te: tu enim dixiſti, Ego ſum, ego sũ, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorũ non recordabor: Exaratos peccatorũ meorũ apices tuæ miſerationis aſperſione, velut aquæ infuſione dilutos abſterge, dele, domine, vt illius reatũ, & memoriam aboleas: quæ peccata pro nihilo habui, magna fuerunt apud te, ſed maior eſt miſericordia tua, & potens es dimittere, tu aſpicis domine quod præſens eſt, vides me pœnitentem, & tuæ miſerationis auxilio dolẽtem, & ſic curſus vitæ meæ plenę peccatorum ſit ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præterijt, & cuſtodia in nocte, quia ſi tu obſeruas iniquitates, quis ſuſtinebit?

CONSIDERATIO XXXVI.

QVàm dulcis, & ſuauis es Domine magne, & mirabilis; dominus enim vniuerſorum cum ſis, à nobis Pater potius, quàm dominus vocari deſideras; quia patris appellatione magis, quàm domini delectaris; illud enim amoris nomen eſt, hoc timoris, & tu magis amari vis, quàm timeri:

ri: Tu domine Ieſu dixiſti; Pater manifeſtaui nomen tuũ hominibus, quos dediſti mihi, & hoc nomen Pater eſt: ſed quomodo miſer vocem te, Pater: ſi iam totiès peccando non ſum dignus vocari filius? ſed non deſinam inuocare, & dicere, Pater peccaui in te, quia ſi ego perdidi, quod erat filij; tu quod Patris eſt, non amiſiſti; in pectore tuo eſt affectus paternus, qui pro me exoret: Vrgeantur viſcera Patris, donec iterum me filium per veniã generes: Tu à ſynagoga præuaricatrice, quæ erat aduerſatrix, & inimica, pater appellari deſideraſti: Ergo ſaltẽ, amodò voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es; nimirum quia etiam inimicos diligis, & eorũ paternitatẽ profiteris: quare ergo diffidam ego? quare ad te non recurram? confiſus accedo, patrem te inuoco, toto animo dico; Quo miſeratur pater filiorum, miſerere mei domine, quia tu cognoſcis figmentum noſtrum.

CON-

CONSIDERATIO XXXVII.

DVm afflictione torqueretur, animo defatigatus, & corpore verſus ad figuram domini Ieſu naſcentis, ſic mente exclamauit; Tu es domine, qui de Patre naſceris ſemel, quia æternus Pater ab ęterno ſe intelligens, Filiũ generat, qui es tu: In principio enim erat Verbum. De Matre Virgine naſceris ſemel in tempore, quia Verbum caro factum eſt; & ſicut cum à Patre naſceris, intellectum diuinum, qui loco matris eſt, non corrumpis, ſed virgo remanet; non tamen ſine fæcunditate; vnde dicitur; Prima virgo Trias eſt; ita cum homo in tempore naſceris, fæcundas, ſed non polluit matrem, quæ virgo remanet, ſed non infœcunda: quare natus ab æterno eiuſdem cum patre ſubſtantiæ, qui ex vtero ante Luciferum genui te; ex medullis diuinitatis ſuæ, iterum in tempore naſceris homo ex vtero matris, vt me redimeres ab omni iniquitate, & capacem me redderes, vt in me gratià

tuà

Digitized by Google

tuà naſcereris, vnde dicitur; In mente naſceris ſæpe. Videas domine, quàm ſterilis, & infœcundus eſt ſpiritus meus ſine te, quàm vilis, & abiectus, & ſine fructu: video domine ficulneam infructuoſam animam meā flammis deputandam, ſed tu domine Ieſu ſuſtines peccatorem; aquà gratiæ tuæ viuifica me, naſcatur gratia tua in me, veniat ros tuus viuificus, & aridītatē animæ meæ tollat; ſis tu puer Ieſus in anima mea, videam æternum ſine diuinitatis præiudicio infantem, & poſitum in Præſepio pro me, & mecum ſis domine, vt quietē merear adipiſci, & dignè te laudare, & totis viribus, animo, & corde amare.

CONSIDERATIO XXXVIII.

VIdens ſe in peccata relabi, infirmitatem propriam recognoſcens, & lugens, ſic dominum precabatur; Non me derelinquas vſquequaque, quia ſi vir fortiſſimus, qui vrſos, & leones quaſi agnos vincere ſolitus, ludens cum illis, proprio lapſu monitus, & veritus, nè iterùm, ac ſæpiùs pre-

laberetur, tuæ gratiæ aſſiſtentiam deprecabatur, ſine qua etiã viri non habent in ſe ſtatum roboris, ſed lapſum infirmitatis, quia non in fortitudine ſua roborabitur vir; Vnde dicebat Auguſtinus: Sperabam aliquando in virtute mea, quæ tamen non erat virtus: quid dicam ego miſer, infirmus, ac debilis, quid faciam peccator, qui nõ ſemèl, & iterùm, ſed per totum vitæ curſũ peccaui domine in te, & peccatorum pondere premor, & vinculis alligor; ſcio quid faciã, verba Dauid repetã cum timore ex me, & fiducia, quia tu es multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis; ecce ſicut oculi ſeruorũ in manibus dominorũ ſuorum, & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ; ita oculi mei ad dominum Deum meum, donec miſereatur mei, & miſertus mecum ſis, & mecum labores, quia ad te greſſus hominis diriguntur, & ſi ceciderit, non collidetur, quia tu domine ſupponis manum tuam, quoties enim interna noſtra veſtigia à te domine tenente deſeruntur, illicita concupiſcẽdo, labimur, nè ergo derelinquas me do-

domine, ſic rogo ſupplex, & humiliter exoro.

CONSIDERATIO XXXIX.

O Verè Beata Virgo, Dei Mater, cæli Regina, dum regnum tuũ ingrederis, obuiam tibi exeunt ſpiritus Hyerarchiarum cęleſtium, & de terra venientem te admirantur, & vnanimes dicunt; Nunquid homo? eſtnè hæc de illa propagine, quæ in primo homine vitiata, tanquàm in radice ex homine naſcentes fœdat, & commaculat? vndé ergo tantus cumulus meritorum? vnde tanta plenitudo deliciarum? ſed nolite admirari, cæleſtes ſpiritus, quia homo natus eſt in ea, & hic erat Deus, eius conditor, & fundator; ipſe fundauit eam Altiſſimus, fundamẽtis talium virtutum, qualibus decebat eam, quæ Deum in ſinu ſuo erat ſuſceptura; amplitudo hæc maior omnibus cælis, & terra, quia quem hæc capere non poterant, ſuo gremio contulit: Adiuuauit eam mane diluculo, præuenit, nè ab infeſta radice humanæ naturæ peccatum traheret, quia ex eius carne, & non aliunde

carnem traxit Deus, indeque nulla erat labe inquinandum, ſed purum purſſimã recipere animam à creatore, quem in ſuis erat receptura viſceribus: Creatura eſt, ſed quæ ſuſcepit Creatorem, eique ex ſuo ſanguine præbuit alimenta, & ex eius diuina præſentia coalitus ſpiritus de torrente, de flumine, qui lætificat Ciuitatem Dei, abundantèr bibit, torrente deliciarum ſuarum potauit eam Deus; quid ergo mirũ, ſi illis affluat? ſed quò percurro ego peccator, & impurus, quò præſumo accedere affectibus terrenis inquinatus? parce domine, parce domina, impetra miſericordiæ mater à miſericordiæ filio puritatem mihi mentis, & corporis, vt dignè te contemplari merear, & plenè laudare.

CONSIDERATIO XL.

DVm peccata recogitaret, in ſemetipſum fremens, & inuehẽs, timore perculſus, ſic dicebat: Nonnè tu domine omnia vides? omnia nuda, & aperta ſunt oculis tuis. Vbi ergo me abſcondam à vultu iræ tuæ? Oculi tui domine tanquam flamma ignis. Inde

etiam

etiam iuſtus Iob extimeſcebat; oculi tui in me, & non ſubſiſtam. Nonnè vultus tuus eſt ſuper facientes mala, vt perdas de terra memoriam eorum; quid ergo faciam miſer? Tu es Domine ſupra ſedem ſedens, qui dignus inuentus es aperire librum, ideſt, facere iudicium, & iuſtitiam, ſed quomodo iudicabis, niſi tanquàm leo de tribu Iuda, quomodo ergo non timeam peccator? Dixi: Reuelabo domino viam meam, voluam ſuper dominum viam meam; & quomodo? Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino; Delictum meũ cognitum tibi faciã; Ante oculos miſericordiæ tuæ peccata mea pandam, & reuelabo, quę ſatis erant nota oculis iuſtitiæ tuę, quia ſi iſti flãma ignis ſunt, illi ſicut dulcis colũbę ſuper riuos aquarum, ſi ex intuitu oculorũ iuſtitiæ tuæ, non ſubſiſtebat Iob, oculis miſericordiæ ſi reſpicis, ab humilitate, & vilitate erigis peccatorem; ſi vultus iuſtitiæ tuæ ſuper peccatores eſt, vt perdas, miſericordiæ oculi tui ſuper iuſtos ſunt, vt alleues, & tu facis iuſtos confitentes peccatores; ſi ante oculos tuos erit mare vitreum ſimile cryſtallo, quia cor

impij,quod eſt mare feruens,puro cry-ſtallo aſſimilabitur, nuda peccatorum ſuorum patefactione ; tu qui ſedens domine, tāquam leo eras iudicaturus, in agnum tanquam occiſum conuerteris, ferocitas leonis in agni manſuetudinem à pura peccatorum confeſſione tranſmutabitur; quàm facile domine erit, te iratum ad miſericordiā reuocare, etiam dùm iudicas, ſi tibi patri miſericordi, quæ ſicut ſeuerus iudex ſcis, reuelabimus; ſed quomodo hoc faciam domine ſine te? illumina domine tenebras meas, veniat domine gratia tua illuminatrix, vt aperiantur tenebræ peccatorum meorum, vt ea lugeam, & dignè confitear. Quibus conſideratis ſiluit, & cœpit Roſarium Beatæ Virginis.

CONSIDERATIO XLI.

DVm appropinquaret ſacroſancto Euchariſtię Sacramento,in oratione: Ad menſam dulciſſimi conuiuij tui pie domine Ieſū Chriſte ego peccator, &c. ſic contemplabatur : Quid ex me ſum, Domine? peccator : quid ex me poſſum ſine te? peccare; quod nihil

nihil eſt: extra peccatum, quod eſt nihil, ſi quid operor; in te operor domine, imò veriùs, tu mecum operaris: Non ego, ſed gratia Dei mecum; tu enim vocas, & præuenis, tu concomitaris, & ſubſequeris; miſericordia eius præueniet me; ecce enim Deus adiuuat me, & miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ; & ſi deſinis adiuuare, non erit vita, non dies; nō enim quis ſine te poterit operari, & hoc nox eſt, ſine rore tuæ gratiæ areſcit homo ſicut fœnū, & priuſquam euellatur, exaruit, quia antequam ex hac migret vita, ſine te inutilis eſt creatura, neque proficere valet ad æternam vitam, quæ es tu domine Ieſu: cum ergo ita ſit, veni Domine, veni bone Ieſu, veni Saluator, viſita me, paſce me, viuifica me, illumina me, corrobora me, veni, vt in te ſim; quia via es; viſita, quia medicus es, vt viſitatio tua cuſtodiat ſpiritum meū; paſce, quia tu es paſtor bonus, qui animam ponis pro ouibus tuis, vt nos oues paſcuæ tuæ confiteamur tibi in ſæculum; viuifica, quia vita es, & vitam æternam nobis das ouibus tuis; illumina, quia tu es lux vera, quæ illu-

minas omnem hominem, vt non ambulemus in tenebris; corrobora me, quia fortis es, omnia enim in te Saluator bone, facta ſunt, quia tu Verbũ eras apud Deum, & Deus erat Verbũ; hiſque dictis ſperans, ac timens accepit ſacramentum, & conſolationis rore, vndique perfuſus eſt: Sit nomen domini benedictum in ſæcula, fiat, fiat.

CONSIDERATIO LXII.

DVm diuinum officium recitaret, veſperi pro ſequẽti die in Pſ. 57. dùm legeret; Lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam; hæc intra ſe dolens nimis cogitauit; Tu es ille iuſtus domine Ieſu, & dùm Aduocati fungeris officio, iuſtus diceris; Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: Ego nimis peccator quomodo rogem; lauabis ergo tu domine manus tuas in ſanguine meo, & lætaberis, cùm de me vindictam ſumes: Quis ergo ſuſtinebit? quis ſtabit ad videndũ te in die illa? Etiam in te ſpero domine, quia tu propitiatio es pro totius mundi peccatis; & ſi ego amator fui mundi

di in ſanguine tuo ero mundus: confiteor domine peccata mea, vt ea tu deleas, ſanguis tuus, meus ſit interceſſor, vt tu læteris in abſolutione mea; gaudium eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: ſic fiat pœnitentia mea, vt ablutus peccatis ex hac vita diſcedam, & ſic innocens inueniar in die iudicij, nequàquam regnet in me peccatum: & ſi quando, quod nolui, malum egi, illud deteſtor. Amplius laua me, Ieſu bone, in ſanguine tuo; ſicque timens, & ſperans, officij reliquum proſequutus eſt.

CONSIDERATIO XLIII.

QVid mihi domine eſt in cœlo! & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: *Si* daretur omnimoda gloria ſine te, magis volo te Deum ſine gloria, quàm omnem gloriam ſine te: mundũ, & omnem ornatum eius deſpicio ſine te, & te ſolum ſine mundo, ſine diuitijs, honore, pompis: nedùm temporalibus, ſed (& ſi eſſent) æternis, quæro, & concupiſco, quia tu es Deus cordis mei; tu imples cor meũ vndequàque;

in te confidit anima mea; ſine te non datur bonum, & malum non eſt, vbi tu es; torrens voluptatis es tu; tu es mare deliciarum, non ſalſedine amarũ, non procellis turbulentum, ſicut mũdus iſte; ſed à te bona cuncta deriuant, & ad te reuertuntur, neque ſine te dantur, & ſi apparent, non ſunt: ſed, heu miſer, quomodo diſcedo à te, niſi ſuperbiendo? quia tu requieſcis ſuper humiles corde, concupiſcendo, inordinatè me amans, vnde fit, vt perdam, domine miſerator, & miſericors tu iuſtus es, & iuſtitiam diligis; vnde contremiſco; ſed æquitatem inter iuſtitias det vultus tuus; dulcedo tua, miſericordia magnes eſt quodammodo oculorum tuorum; antequàm iudices me, vide miſericordiam tuam, vide Ieſum tuum, filium tuum, dominum meum; quia ipſe miſericordia eſt; da mihi te amare ſuper me, diligam te domine, quia tu es fortitudo mea; concede mihi, vt te amem, & ſic amem te, vt non amem aliud extra te, amicos diligam in te, & inimicos propter te, amoris mei obiectum tu ſis, guſtet, guſtet anima mea te, quoniam ſuauis es, non timeat anima mea guſtare te, quia dulcedi-

cedinem tuam abſcondis timentibus te, neque poſſum videre, quoniam ſuauis es, niſi guſtem te, repleatur cor meum dulcedine, & os ſuauitate, quia tu imples totũ hominem, qui venit ad te, ſed nemo venit; niſi Pater trahat, ſed in quo trahit niſi in te; & qui per te non intrat, non trahit illum pater; trahe ergo me Pater domine, & Deus, ſed in Ieſu filio trahe, vt dicam lætus; Trahe me poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum.

CONSIDERATIO. XLIV.

QVis intellectus capere, vel quæ lingua dicere ſufficit, ſenſũ verborum: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me? Nomen tuum tibi Pater impoſuit, antequàm naſcereris, & ſic vocatus es Ieſus, quod eſt Saluator; tu enim ſaluaturus eras populum tuum; ſic ſaluum me fac in nomine Saluatoris, ſalutaris, & ſalutis: Viderunt oculi mei ſalutare tuũ; nàm & ipſe Deus meus Saluator meus; vt ſis ſalus mea vſque ad extremũ terræ. Tu es Deus ſaluos faciendi, ex hoc ſumis nomen, quia ve-

niſti ſaluum facere, quod perierat; hoc eſt nomen dulcedinis, & ſatietatis, & in hoc ſalutem peto, qui ſum vilis peccator, & ex me, æterno igni deſtinatus; ego zizania colligenda, & ſeparanda de medio tritici ad comburendũ, quia in medio Eccleſiæ tuæ natus, non vixi, vt credo, vt fidelem decet, ſed tu ſaluũ me fac, quoniam inuocaui te, in miſericordia tua, quod eſt filius tuus, apud dominum miſericordia, & in virtute tua iudica me; quæ eſt enim virtus Patris, niſi filius Patris? omnia enim per ipſum facta ſunt; quæ eſt virtus Dei, niſi filius Dei? memorare Domine, quod virtus tua Filius tuus, coæqualis naturalis, & coæternus, infirmus factus eſt, vt adoptiuos filios ſaluos faceret; in hac virtute infirmata iudica me, ſeù in vitrute tua, quæ eſt miſericordia tua, quæ in cunctis operibus tuis eluceſcit magis, pietas tua, de qua magis gaudes, ad manum tuam quodammodo tenes eam, quia vix aliquid operaris, quod non ſit pietate plenum, ſi in ea me iudices, quid timeam? dum hæc conſidero domine, conualeſco, dũ hæc cogito, eliſa mens mea non concidit, ad Sacramentum Saluatoris filij

tui

tui confidens venio, quod eſt ipſemet filius tuus, & Saluator meus, ſic accipiam domine, vt in eo ſim, & ipſe in me, vt poſſim dicere: Non timebo mala, quoniam tu mecum es.

CONSIDERATIO XLV.

AD dominum Ieſum in cruce affixum corde, & oculis conuerſus dixit: Valeam, Domine, extēſa brachia tua, dum pro me pendes in cruce, intenſiùs conſiderare; quid enim denotant Domine, niſi amorem tuum? quaſi fortiter amans nos implecteris, ad te nos vocas, vt reficias; vehementi amplexu amplexatus es, me bone Ieſu, in cruce, vbi ſanguis de corde, aqua de latere, anima de corpore exiuit, è latere ſanguis, vt me viuificet, aqua, vt me recreet, anima, quæ ſanctificet; caput inclinas ad oſculandum, brachia tenes extenſa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, quis te non amet amantem? quis te non diligat diligentem? quare mundus amatur, ſi tot calamitatibus nos pulſat, tot anguſtijs premit, tot defectibus agitat, &

apertè, ne diligatur, clamat, quid eſt hoc Domine, quod hic nihilominus diligitur, & tu negligeris? quid eſt hoc? niſi mea peruerſa natura, quæ à concupiſcentia opprimitur, nè videat ſpiritus, obiecta viſibilia ſenſus trahunt, & iſti inſenſibiliter intellectum ad ea trahunt, quæ ipſi vident, & ad inuiſibilia non deſinunt eleuari; ſubleua me domine, & pone ſuper humeros tuos, illumina me, vt videam, excita, vt tibi ſeruiã, inflamma, vt te amem, auerte oculos, ne videant vanitatem, ſenſus mortifica, intellectum illuſtra; habeam te ſemper in oculis, & in corde meo; abſcondam in corde meo ſanguinem tuum, vt non peccem tibi.

CONSIDERATIO XLVI.

QVid eſt Domine, quòd anima mea tam inualida eſt, & ad bene operandũ tàm inepta? nonnè tu creaſti eam manibus tuis, & aptè corpori in vtero matris infudiſti? Qui finxit ſingillatim corda eorum, & educit ventos de theſauris ſuis, de te dixit Regius Propheta; nonnè eam potentijs intellectus, voluntatis, & memoriæ vallaſti,

ſti, immortalitate decoraſti, & ſpiritualem quaſi ex tuis viſceribus halitũ creaſti? vnde ergo ei tanta inualiditas? ex corpore, quod eſt terra, ex corporis imbecillitate, peruerſis inclinationibus obnoxio mala deriuant, & animæ cõmunicantur. Tu verò Domine vtriuſque ſubſtãtiæ meæ creator, Rex, & dominus meus gratia tua conforta me, da rationi potentiam, vt ſuper ſenſum exerceat eã, ne quæſo regnet peccatũ in meo mortali corpore, vt obediam concupiſcentijs eius, ſed regnet in me gratia tua, vt ſpiritus obediat ei, & ſenſus ſpiritui: corpus hoc, quod aggrauat animam, nè ita grauet, vt nequeat ſubleuari; ſed à quo ſubleuabimur niſi à te, à te domine, qui facis ferrũ ſuper aquas natare, homines ſuper mare liquidũ pedibus, quaſi ſupra terrã firmam ambulare; tu dabis graui corpori meo leuitatem, vt valeat ambulare, & ad te feſtinare tua gratia fretus, vt dicam: Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis.

CON-

CONSIDERATIO XLVII.

DVm peccata ſua recogitaret ante confeſſionem; ſic contemplabatur; Quoties ad te domine Deus Rex cœli, & terræ, ego vilis creatura, & vix alicuius momenti inter homines venio, & miſericordiam tuam imploro, dũ eadem peccata repeto: quæ eſt audacia mea? quomodo non erubeſco? quàm ſine proportione eſt pœnitentia mea ad peccata mea; parua illa, hæc magna, illa rara, hæc continua, vbi fletus eſt, & contritio? Benè video, ſed conſidero ſimul, quòd tu es domine, multæ miſericordiæ, miſerator, & miſericors, neque reſpuis peccatorem, & ſi pluries peccaui, tu nunquam deſinis miſereri? Pater es domini mei Ieſu Chriſti, & ab æterno generas Verbum, nec vnquam deſines generare; & pater es miſericordiarum, nec vnquã miſereri ceſſabis; quomodo non audeam venire ad te, ſi tu me vocas, & dicis; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis; omnes domine laboramus, quia ſumus fragiles, infirmi, lutea vaſa portantes, quæ faciunt

inui-

inuicem anguſtias;ſed ego miſer laboro onuſtus; Tu ſcis, & vides, neque repetam; ſi ergo me non adiuuas,ſuccumbam; & quæ erit vtilitas,dum deſcendo in corruptionem? operi manuum tuarum porrige dexteram; vt dicam; Dextera domini fecit virtutẽ; exaltauit me, fecit virtutem; non moriar ſed viuam, & narrabo opera Domini.

CONSIDERATIO XLVIII.

TRibulationes cordis mei,Domine multiplicatæ ſunt; de neceſſitatibus meis erue me: Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus: ſtatum meum tu ſcis, cogitationes cordis tu intelligis, quia tu corda noſtra ſingillatim finxiſti, & ſi oculum finxiſti, quomodo non conſiderabis; Vocaris videns; videas ergo humilitatem meam, & labores,quibus angor, & premor: vocaris prouidens, prouide ergo creaturæ tuæ, quæ ſine particulari prouidentia tua ſuccumbet certè. Tu ſcis domine, quòd vltra neceſſitatem ſtatus mei non deſidero, ſed vires non ha-

habeo, vt velim abſolutè, quæ tu diſponis; ideoque afflictus ſum nimis; dignitates, & gradus tu creaſti, & à diuina prouidentia tua conceduntur, à te ergo expetam, quæ neceſſaria ad ſtatum ſunt, vt omnis, qui videt me, laudet te, & intelligat, quia tu ſolus laborem, & dolorem conſideras: Vana eſt ſalus hominis, in te ergo faciã virtutem; & ſi hæc temporalia negabis domine, da conſtantiam, vt libenter feram, & in anguſtijs non deficiã; tu enim vides, quam particulari auxilio indigeam, hoc peto, & humiliter exoro; tu es Deus conſolationis totius, nè deſinas conſolari lugentem, & afflictum nimis; vt dicam; Ad dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.

CONSIDERATIO XLIX.

INterdiù loquens de ſeueritate diuini iudicij, & quàm graue ſit, & periculo plenum, hominem Deo rationem redditurum, non adminiſtrationis bonorum per breue tempus alteri homini patrifamilias, ſed perſonæ, & talentorum tàm temporalium,

quàm

quàm ſpiritualium, & non homini, ſed Deo videnti, & totius vitæ noſtræ poſt rationis vſum, quam amara eſt hæc memoria; Reddere rationem Deo, qui finxit corda noſtra, & intelligit omnia opera noſtra; quis ſtabit ad videndum eum? quando ſtabit quaſi ignis conflans, & quaſi argentarius emundans argentum. Si villicus extimeſcebat, quando dominus eius rationẽ ab eo expetijt villicationis eius, quid facturus eſt homo, certus, quod curſus totius eius vitæ examinabitur? cogitationes eius, verba, opera à Deo ſedente oculis pleno trutinabuntur; quis hæc recogitans viuet? & quare viuimus, niſi quia non recogitamus miſeri, quæ eſſent recogitanda, non vt eliſa mens concidat, ſed vt frequẽter ad Dei miſericordiã recurramus, quia ſuperexaltat miſericordia iudicium. Dic ergo anima mea: Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo: iuſte domine miſericordiam tuam expeto, & imploro, quia non in alia re, quàm ipſa confido, alius mihi non eſt locus tutus à facie peccatorum meorum; ſi enim aſcen-

aſcendero in cœlum, illic es, ſi deſcẽdero in infernum ades, ſi ſumpſero pœnas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, neque tenebræ conculcabunt me, vt tu domine non videas, quia tenebræ nõ obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, vmbra alarum tuarum proteget me: & quæ ſunt alæ tuæ, niſi brachia tua duris clauis in cruce affixa, extenſa, vt ad ea recurrentes peccatores protegantur, & à facie iræ diuinæ abſcondantur, donec pertranſeat eius furor; da mihi domine Deus in die illa, vt miſericordia tua, quæ eſt filius tuus: Apud dominum miſericordia; eripiat animam meam de medio catulorum leonum, meorum ſcilicet peccatorum, nè ipſi freti dæmones inferni, qui circuunt, quem deuorẽt, me ad baratra pertrahant, vt ſim ſine te in æternum; ſed ipſe Dominus meus, Saluator, & Redemptor meus Ieſus Chriſtus, ad Paradiſum exultationis me perducat, vbi te benedicam, & & laudem in æternum, & in ſæculum ſæculi.

CON-

CONSIDERATIO L.

TV es domine Deus ſalutarium noſtrorum, proſperum nobis fac iter, quo ad te venimus, vt aliquando feliciter perueniamus; tu domine Ieſu es iter, & via; in te ergo deduc me, ſemitas mandatorum tuorum quis inueniet, niſi te duce, qui es lucerna pedibus ſequentibus te, & lumē ſemitis; inuentas quis pertranſiet, niſi tu porrigas dexteram, & quæ eſt dextera tua, niſi miſericordia tua, quæ fecit virtutem, & exaltauit me, & ſi cecidero, non collidar, quia tu ſupponis manum tuam, qua fretus, & cui innixus viam mandatorum tuorū nedùm pertranſeam, ſed & percurram: hoc rogabat Dauid, Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum; tu es domine Deus ſalutis meæ, tu ſalutare meum: tu eleua caput meum, quia peccata mea incuruauerunt animam meam, ſicut onus graue iniquitates meæ grauatæ ſunt ſuper me; vnde oculi mei non ad te, ſed ad terrena flecto, inde laqueis concupiſcentiæ meæ capior, & quaſi conglutinatus in terra, cæleſtia

non

non ſapio; intricatus laberintus eſt mundus; quis non videt? deduc ergo me, ad manum tuam trahe me, quia ſi ſolus incedam, viam inuenire nequeam, & ambulabo in circuitu, ſicut impius; ſed quid dico miſer? nonne auxilium tuum experior, nonnè miſericordiam ſentio, quoties vocas, quoties inſpiras, & ego ſurdus permaneo, & in peccatis obuoluor, eadem repetens; & repetita non plorans; ſed quid domine? forſan iniquitates meæ vincent miſericordiam tuam, vt repellas me de manibus tuis; nequàquam domine, nequàquam; ſed à ſomno meo excita me, adde miſericordiam, ſi appoſui miſer iniquitatem ſuper iniquitatem, quia tu es Deus ſaluos faciendi, & ego opus manuum tuarũ; operi ergo manuum tuarum porrige dexteram; dexteram tuam ſic notam fac, vt omnes, qui viderint me, dicant; verè Deus pius, verè miſericors, & te laudent, & benedicant Saluatorem in æternum.

CON-

CONSIDERATIO LI.

VEre domine Deus; Nihil tã ponderoſum, & graue, quàm peccatum, hoc traxit ſicut plumbum ad abyſſum Luciferum, ſpiritum igne leuiorẽ, creaturã tã Deo proximã, & & in momento traxit. Videbam, inquit Propheta, *Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*, ò me miſerum, quẽ carnis maſſa grauat, & toties peccaui: Grauabit eum iniquitas ſua, & corruet, & non adijciat, vt reſurgat. Quæ erit ergo ſpes mea, qui toties pecco? De te Domine miſericors, & clemens dixit Apoſtolus, *Suſtinuit in multa patientia vaſa apta in interitum*: Ego, ego cognoſco, quod pluries peccando, memetipſum ad mortem æternam deſtinaui, & adhùc me ſuſtines, quia non ſecundum peccata noſtra facis nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuis nobis. *Si Paulus*, qui ad primam vocem tuam reſpondit, & cognouit, quòd Dominus eras, dum ibat nomen tuum deleturus, & tamen dicit; Oſtendit in me omnem patientiam,

tiam , quia niſi Deus patiens ferre
non poſſes peccantem ſemel ; quid di-
cam miſer , qui totiès pecco , & voca-
tus non reſpondeo ? quæ erit mecum
patientia tua , quia adhùc ſuſtines me,
& ad abyſſum non proieciſti me pec-
cantem quotidie , & non pœnitentē ?
Timor,& tremor venerunt ſuper me ;
& contraxerunt me tenebræ , dum
verborum flentis Hieremiæ recordor:
Aſcendit ſuper cor eius , & non pote-
rat dominus vltra portare propter ma
litiam ſtudiorum veſtrorum ; quę erit
ergo peccati grauitas, quæ te laſſum
reddat , qui cuncta ſolus ordinans nō
laſſaris , benè ſcio Domine, quòd ma-
ior eſt ſemper miſericordia tua, quàm
iniquitas peccatoris ; ſed vt ita dicā ,
pondus ſentis , & tamen peccatum
meum eſt,& ita caſtigas quaſi ampliùs
non valeas ſuſtinere ; quomodo ergo
peccatum meum non ſentio , qui cō-
mitto, quomodo fero,& eius non ad-
uerto grauedinem , quid eſt hoc do-
mine ? quid eſt hoc ? niſi quia peccatū
meum in loco ſuo, in centro ſuo ma-
net ; quod eſt deprauata mea volun-
tas, concupiſcentia mea , inordinatus
affectus meus , decepta voluntas mea

ter.

Digitized by Google

terrenis inquinata affectibus,& ſordibus vſta; ſed quando gratia tua ordinatur ad te voluntas mea, vt amé te, & in te proximum, tunc pondus peccatorũ ſentio,& exclamo; ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me iniquitates meæ; ſub hac ergo ſarcina onuſtus ad te clamo, vt me alleues: Veni Domine ad me, quia ego ad te venire nequeo: niſi tua præuentus gratia, nè repellas me, nè trahas cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem nè perdas me; vt dicam; Saluum me fecit, quoniam voluit me.

CONSIDERATIO LI.

VT excitetur Domine negligentia mea,ſomnus meus ad amãdum te, & repetam toto corde; Diligam te Domine fortitudo mea, infixa ſint in corde meo, & ſint ante oculos meos die, ac nocte verba Apoſtoli ardenter amantis te; Dilexit me,& tradidit ſemetipſum pro me; ſic Domine amaſti me, vt traderes temetipſum pro me: Vnde Apoſtole fortitudo tua, qua dicis: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia,

an

an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? Et ſubiungis conſtanter: Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Vnde tàm validæ amoris flammæ? non ex me, ſed in his omnibus ſuperamus propter eũ, qui dilexit nos; non quia nos ipſum, ſed quia ipſe nos, & prior dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Tu amaſti Domine, quia vis amari, inde exclamat Apoſtolus; Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, quia ſi nimium daretur in tuis operationibus, hoc eſſet in operibus amoris; amor, quo nihil liberalius, & in te Domine nihil, vt ita dicam, violentiùs; vnde exclamat Bernardus, quid violentius? quid tamen tàm non violentum? Amor eſt, quæ eſt iſta vis, queſo, tàm violenta ad victoriam? tàm victa ad violentiam? fac me Domine amantem, vt ſentiam quod dico; triumphet de me, ſicut de te triumphauit amor: ita triumphet, vt cor immutet, affectus ad te ſubleuet, intentionem

nem ad te dirigat, vt dicam, & ſentiam; Deus meus fortitudo mea.

CONSIDERATIO LIII.

TV vides Domine, quòd tribulationibus premor, & angor, afflictionibus circumdor, quaſi duris ſpinis, & rhamnis, defectus bonorũ temporalium in ſtatu coniugali, & altitudo ſtatus, in quo tua dextera me collocauit, & miſericorditer poſuit, anxium, & afflictũ me reddit; tu ſcis Domine, qui noſtras dinumeras cogitationes, metiris, & vſque ad interiora penetras, diſcretor cogitationũ Domine tu es, nemo te fallere poteſt & ego cor meũ aperio tibi Deo meo, vulnera mea dulciſſimo Medico; tibi enim haud difficile eſt; ex ipſis etiam denſiſſimis ærumnarum tenebris lucẽ educere, & afflictis in te ſperantium animis quaſi lumen quoddam ſpei, conſolationiſque prætendere; Hoc eſt enim & nox illuminatio mea in delicijs meis. Doce me Domine nulla de re æquè, quàm de tua offenſa dolere, & de tua miſericordia, & gratia lætari, vt dixit Apoſtolus; In omnibus tri-

bulationem patimur, ſed non anguſtiamur; Tu enim in latitudiné nos adducis, perſecutionem patimur, ſed non deſtituimur, deijcimus, ſed non perimus, quia denſiſſima tribulationum nox in lucé vertebatur, & quod mirum, ſi de petra aquam eduxiſti, oleumque de ſaxo duriſſimo: & dum iuſtè Domine caſtigas me, ab ira defende cor, à verbis aſperis, & duris cuſtodi linguam, vt & in corde, & in ore te ſemper habeam, & à te nunquam diſcedam. Amen, amen.

CONSIDERATIO LIV.

REpetens verba Pſal. Guſtate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus; ſic contemplabatur; Anima mea quando cibum diuinũ ſumis, ne edas ſolùm, ſed guſta, adhibito ſenſu, ac iudicio animaduerte, vt ſic percipias guſtum diuinæ bonitatis, ac benignitatis, quia ſi verè guſtas, proculdubio videbis, quàm ſit ille ſuauis; Delectare, delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: Guſta, perpẽde ſcilicèt anima mea quid edas, quo conuiuio fruaris, & oculis videbis, quàm

quàm dulcis eſt dominus, qui vt dulcedinem ſuam filijs demonſtraret, ſe ipsũ nobis offert in cibum: ne nauſeas ſicut antiquus ille populus in huius cibi figura, ſed ad eũ feruentior quotidie magis accede, & ſi ſenſibilem nõ ſentis dulcedinem, nè ceſſes tanquam indignus ſis accedere; ſed perſeuera fortiter, & alacriter, vt aliquando ad huiuſmodi guſtum merearis peruenire: conſidera (& hic fige affectus) quod ipſe dominus eſt, qui dixit: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum; & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: dum ergo accedis, vt edas, ad vitam accedis; quis ergo non accedet alacer, vt in æternum viuat; quis non dicet; Guſtaui, & vidi, quòd bona ſit negotiatio mea; tu qui accedis, quis es? quid tecũ trahis? quaſi non ſit homo putredo, & filius hominis vermis, & peccatis onuſtus ab infantia ſua; & tamen à domino cęli, & terræ paſceris, & ipſomet domino paſceris; quomodo ergo non dices; Beatus vir, qui ſperet in eo? quomodo ergo non exclames; Quam magna multitudo dulcedinis tuę domine? Reuolue ſæpe ſæpius anima mea, ſuper hoc

fixæ ſint cogitationes tuæ, & cum afſligeris, accede ad conuiuium, laua lachrymis peccata tua, prępara animã tuam, vt nihil offendat oculos domini intrantis, qui ſi vocat amicum, & verè amicus nominari deſiderat; eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, quare domeſtici? niſi quia commenſales: dic ergo anima mea, repete ſemper: Dulcis, & rectus dominus, verè dulcis, verè ſuauis in ætenum.

CONSIDERATIO LV.

ASſiſte mihi domine ſupplex, rogo, & exoro, vt, quæ mente cõcepi, dignè exprimam: O verè ſacrum conuiuium, in quo tuæ recolitur memoria paſſionis: felix anima, quæ dignè recolet eam: verè vitulus ſaginatus, occiſus, dum qui perierat, inuenitur, qui mortuus erat homo, reuixit; reconciliati Deo per mortem filij ipſius, ſed vltrò ſe porrigit miſericordia tua Deus, & te ipſum nobis das in eſcã, & potum, vt hoc ſacramentum ſit memoria mirabilium tuorum, quorum maximũ, & omnem excedens capacitatem, eſt, vt Deus pro humano genere

re in cruce ſit mortuus, imò tã pro me peccatore miſerrimo, quã pro omnibus tu dixiſti; Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis; et Apoſtolus; Quotieſcumque enim mãducabitis panem hunc, & calicem bibetis, morté Domini annuntiabitis, donec veniat. Mereamur Domine nos ſerui tui, memores eſſe tam glorioſæ paſſionis, & filij tui beatę, qua nos reparaſti, paſſionis. Felix (vt dicam) culpa, quæ talem meruit reparatoré; quis mihi det tecũ in cruce figi? quis mihi tribuat lachrymis recolere, & celebrare tuã paſſionem? quis mihi det intelligere ſic in indulgentia peccatorum operari paſſioné tuam, quaſi ſi tunc patereris, & in cruce penderes? quis mihi det continuè meditari, quã fui ingratus, qui quotiès peccaui, toties cruci affixi te: & tu pius, & miſericors, quãdo abſoluis, & indulges, ſic operaris, quaſi iterum pro me patereris; ò dulcis memoria, ò admirabile ſacramentum!

CONSIDERATIO. LVI.

QVàm debemus Domine continuè paſſionem tuã meditari: Beatus homo, qui vigilat ad fores tuas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij tui: quid eſt Domine Saluator meus, quod de te dixit æternus Pater: Figam illũ in loco fideli: Quis eſt locus ille fidelis? niſi crux tua: Crux fidelis inter omnes, arbor vna nobilis; figam, non ponam, vt aſſideat, vel aliter maneat; figã, vt non deſcendat; & ſi petant multi, ſi filius Dei eſt, deſcendat de cruce: verè Domine video, quod mundus, & quicquid in mundo eſt, deficit: verè mendacium aquarum infideliũ; tu autẽ dulcis Ieſu fixus in loco fideli, ſemper extenſis in cruce brachijs, vt in neceſſitatibus ſuccurras peccatori, extendis brachia tua in cruce, & expandis manus tuas, paratus in amplexus peccatorũ: felix, qui non extimeſcit crucis duritiam, cogitans, quia te inuènit in cruce, quis dicet amarũ, vbi tu es dulcedo mea, quis mihi det recogitare te, qui talẽ ſuſtinuiſti à peccatoribus aduer-

uerſus temetipſum contradictionem, non ſemel, & iterũ, ſed ſæpe ſæpius cogitare, vt inuoluatur anima mea amaritudine propter peccata mea, & in multitudine miſericordiæ tuæ confiſa non concidat: Timeam Domine peccata mea, quæ te fixerunt in cruce: ſed lætetur cor meum, quia tu crucifixus es, vt redimeres me; ſis ſemper in corde meo, & in anima mea dulcis Ieſus crucifixus, quia ſi tu eris mecũ, non timebo mala.

CONSIDERATIO LVII.

QVid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? quomodo mihi, ſi pro omnibus paſſus es Domine Ieſu: hic ſanguis noui teſtamenti, quod pro multis effundetur: Si dicam mihi, quia tam pro omnibus, quàm pro me, quia pro me effuderas libenter, ſi ſaluarer ſolus; ò benignitas, ò miſericordia, quid retribuam? quid retribuam? Quid eſt homo, quod memor es eius, aut quid es obliuioſus, quòd ſic de eo recogitas, ſic ſuam ſalutem deſideras, vt pro eo ſanguinem tuum tam libenter funde-

res, talia reciperes opprobria, tales plagas patereris; & quid dico? paſſus es; etiam dum reſurgis, glorioſus cicatrices cœlo infers, quaſi dulcem dolorũ pro homine, imo pro me, paſſorũ memoriam: quid ſunt plagæ iſtæ (exclamant cæleſtes ſpiritus) in medio manuũ tuarum? Nonnè manus tuæ Domine tornatæ aureæ, ſunt hyacinthis plenæ? ſed plus æſtimas cicatrices illas, quia memor es eius, quem redemiſti, hominis: ò homo quid cogitas, quomodo Saluatoris obliuiſceris, & tuæ ſalutis. O me inter homines miſerrimum, quid retribuam? quid retribuã? calicem tribulationũ, quem mihi Domine propinas, libenter bibam; ſed quomodo ſine te hoc faciam Domine? quomodo miſer corporis, & ſenſuum arctis compedibus præpeditus, occaſionum ferreis manicis obuolutus tribulationes libenter feram? Tuũ erit Domine opus, qui infirma eligis, vt confundas fortia: ſit in paſſione tua Domine virtus mea, fortitudo mea, gaudium meum, lætitia mea, hilaritas mea; dicam ſemper; ego autẽ in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo; Deus Dominus forti-

tu-

tudo mea. O Auguſtine, te patronum inuoco, vt mihi impetres quod de te dicebas; In omnibus adverſitatibus nõ inuèni tam efficax remedium, quam vulnera Chriſti; in illis dormio ſecurus, & requieſco intrepidus; Chriſtus mortuus eſt pro nobis; nihil tã ad mortem amarũ, quàm morte Chriſti non ſanetur. O dulcis memoria paſſionis; ò ſalutifera mors, quæ mortuos ad vitã perducit; quis mihi det te patientem, morientem, paſſum, & mortuũ quotidie cogitare?

CONSIDERATIO. LVIII.

QVotieſcumque Domine conſidero verba tua, quę tu ipſe Apoſtolis tuis dixiſti, defectio tenet me, timor conturbat, cor expaueſcit: Si diligitis me, mandata mea ſeruate; quia ego miſer nequeo dicere; ſeruaui mandata tua, & teſtimonia tua, neque cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, ſed potiùs peccaui ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata sũt peccata mea; ſed ego ſcio Domine; quia amo te, & ſi offendi te, memorare, Domine, quæ mea

ſuſtantia; nonnè ex limo formaſti me, nonnè in carne viuo? nonnè ex damnata maſſa, ex primi parentis peccato formaſti me? quid mirũ, ſi pecco; nequaquam autem Domine te non amẽ, vt ſi te Domine non amo, non viuam, veniat mors ſuper me, & deſcendã in infernum viuens: verba tua vera ſunt, quia tu veritas es; veritas tua in circuitu tuo, quia tu Verbum veritatis vſquequaque eras apud Patrẽ, & Deus erat Verbum; ſed dicis, ſi diligitis me, mãdata mea ſeruate, cauſa ſit dilectio mea obſeruationis mandatorũ meorum, quia amor erga me, cũ præceptorum inobſeruantia erit vobis inutilis; ò exceſſus amoris, ita vis Domine amari, vt detur diligentibus te perfrui te, ita amoris creaturæ tuæ præmium te ipſum das, ſed vide dulcis Ieſu, quod anima mea corporis ergaſtulo detinetur, & corporis ſenſibus percipit, inde premitur, ne ad te ſubleuetur: tu ergo Domine ſuſceptor meus, gloria mea, & exaltans caput meum; ſint Domine oculi mei ſuſpicientes in excelſum ne ſtatuas eos declinare in terrã, omnes greſſus vitæ meæ dirigantur, vt amem te, ſi exaltas me, amem te, ſi

hu-

humilias me, amem te, quia tu in tua prouidentia non deciperis, repleatur ſemper os laude, vt cantem magnitudinem tuam, tota die laudem tuam.

CONSIDERATIO LIX.

QVid eſt Domine, ſaluator meus, dulcis, & bone Ieſu, verè ſuauis, & miſericors, quòd ante cœnam, in qua te ipſum dediſti in cibum; ſic hilareſcis, vt hymnum dicas, & hymno dicto exierunt in montem oliuarum: Verè propheta Rex de te prædixit, In medio Eccleſiæ laudabo te, hymnum dicam tibi: niſi quòd iubilas, cùm mihi benefacis, nedùm amans, ſed amor; Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominũ, qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſæculum ſæculi; verè pauperes edunt, humiles nempè, quia ſuper eos requieſcit ſpiritus tuus, ſaturabũtur, quia tu ſolus ſatias, laudabũt Dominum, repleti, & ſaginati tuo corpore, & pretioſo ſanguine, & cantent in vijs domini, quoniam magna eſt gloria domini: Lauda anima mea dominum, qui adipe frumenti ſatiat

te, viuent corda eorum, & anima mea illi viuet: quomodo namq; erit mors, vbi tu es vita, ſi hæc ergo facit in nobis, quid mirum, ſi exultas, ſi canis, ſi hymnum dicis domine, quando hæc inſtituis, gratias agis, antequàm des, vt nos ab actione gratiarũ inciperemus: gratias repetis, vbi dederas, & hymnum canis, vt & nos ſimiliter faciamus: repleatur os meum laude, vt cantem gloriã tuam, tota die magnitudinem tuam; hymnum dic, & ſuperexulta anima mea in ſæculum: nonnè vides vim amoris, dum Redéptor ad mortem properans exultat; quia te paſcit non lacte, ſed cruore, non aliũde paſcit, ſed ſe ipſo; quis vnquã grates rependat debitas? quis dũ hæc cogitat, non exclamat: Benedictum nomen maieſtatis tuæ in æternũ: ſed heu me miſerum; tu Domine, dum inſtituis cœnam, ad cælum eleuas oculos, vt me inſtruas, oculi autem mei quò tendunt? ò verecundia, in terram declinant, dum audent ad dominum accedere, cæli, & terræ; ſed quid dico accedere? etiam dicam, prægustare ſint ad te oculi mei ſuſcipientes in excelſum; excita Domine cor meum, in-

flam-

flamma, vt dicam amore langue: ò Tu enim potes, ſi vis. Quibus dictis cæpit Roſarium B.M.V.

CONSIDERATIO LX.

TV dixiſti Dñe: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, nedum lumen, ſed vitale, quod eſt lumen nedum illuminans, ſed viuificans, niſi tu bone Ieſu, lumen ad illuminationem gentiũ, in lumine videbimus lumen de lumine; quando autem viuificas, niſi quando ſub ſpeciebus panis, & vini te ipſum das in cibum, & potum? qui enim mãducat hunc panem, viuet in æternum, hoc eſt viuifica me ſecundùm verbum tuum, felix anima, quæ ſic ſequitur, vt videat, ſic videt, vt guſtet, ſic guſtat, vt in te maneat, & tu in ea: qui ergo te non ſequitur, in tenebris ambulet, per neceſſe eſt; & quis ſequitur, niſi tu trahas eum, & quem trahis, niſi quem prædeſtinas? quæ autem prædeſtinas, niſi quem vocas? quem autem vocas, niſi quem vis? & quis audeat tibi dicere, quare velis, ſi vas figulo non dicit, cur me ſic finxiſti? ne me tanquã vas

figuli

figuli cõfringas, ne me voces argentũ reprobũ, & quaſi de manu tua repellas me: ſed trahe me, vt dicam in odorem curremus vnguentorũ tuorũ: voca me, vt dicam, vocabis me, & ego reſpondebo tibi: ita velis ſalutem meã, vt ſequatur; ne declines in ira à ſeruo tuo; ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

Deo gratias; & B. Mariæ ſemper Virgini, & Angelo meo Cuſtodi.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

Conſideratio Prima.

PEccata propria conſiderans,& diuinam recogitãs miſericordiam, ſic dicebat, & profuſis lachrymis meditabatur: Verè tu Domine pius es, & miſericors, & inter iuſtitias tuas æquitatẽ vides quaſi tuæ voluntatis obiectum: iuſtus dominus,& iuſtitias dilexit, ęquitatẽ vidit vultus eius;ſed verè etiam ego miſer quotidie pecco,& iram tuam incendo, oculis miſericordiæ tuæ Domine vides me,& vocas me, ego autẽ quaſi clauis infixus non venio ad te; aquã piſcinæ moues, ut ego infirmus deſcendã, & in ea lotus ſaner;ad pœnitentiam namque excitas me, vt ea munder, & lepra caream peccatorum meorum; inde ad te cum gaudio re-

uer-

uertar, & gratias agam, ſed ego peccator motũ aquæ video; gratiæ namque tuæ impulſus conſidero; ſed vinctus maneo, non tamen Domine diffido, nec deſpero; quia tua pietas, & miſericordia menſuram non ſuſcipit, mea autem malitia menſuram habet, qualiſcunque fuerit malitia mea, humana eſt, tua autem pietas, & clemẽtia eſt incircumſcripta. Momẽto Domine potes ex peccatore facere iuſtũ, peccata mea ſi ad mare perueniẽt miſericordiæ tuæ, in eo ita demergẽtur, vt amplius nec ſint, nec appareant: cogita anima mea, recogita vehemẽter, ſcintillã, ſi in mare ceciderit, nũ ſtare poterit, aut apparere? ò felix Magdalena, quæ eras in Ciuitate peccasrix, & momento non es, & cum Phariſęus quaſi eodem tempore dicit, quia peccatrix eſt, nõ bene dicit, quia vim neſcit pœnitentiæ, & dulcedinem domini, eiuſque in dimittendo peccata liberalitatem ignorat; ò dulcis Dominus, & ſaluator dilectus, ò diuina bonitas, oculis tuis conſidera neceſſitatem meã; vide, quòd nõ triginta octo; ſed quadraginta annos habeo in infirmitate mea, tota vita mea poſt rationis

nis vſum miſerijs,& peccatis plena eſt; ſed tu ęternus es in miſericordia tua, eaque in æternum ædificatur in cælis; veniant ego miſerationes tuæ domine, vt viuam;in aquis pœnitẽtiæ merge me, vt dicam; Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

CONSIDERATIO II.

DVm de more peccata recogitaret, & quàm grauia eſſent, & continua perpenderet, diuinã iram,& iuſtitiam extimeſcens,quia vultus domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriã eorum, eleuãs oculos ad cœlum, ſic dicebat: Verè domine peccaui,& iram tuã merui,& ſi noſcirem magnitudinẽ,& multitudinem miſericordiarũ tuarum, deficerem in iniquitatibus meis: De te domine dixit ſpiritus tuus, Thecuitis voce;Deus nõ vult animã perire, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat,qui abiectus eſt: ira enim tua,cum quis te offendit, ad punitionẽ impellit;ſed tu(vt noſtro loquamur modo) dũ recordaris, quia caro ſunt, ſpiritus vadens,& non rediens: mitigas(vt ita dicam) iram tuã,

&

& attendens benignitatẽ tuam; quàm benignitatem? niſi filium tuũ, qui apparuit, vt me redimeret, quæ ad miſericordiã vrget, dum vides, quòd pro hominũ peccatis mortuus eſt, & quòd homo puluis eſt, quem quilibet ventus circumtrahit; attendens eius ſanguinis clamorẽ, quo multò melius clamat quàm Abel, vindictam enim ille, hic remiſſionem petit, ſententiã tuæ iuſtitiæ retractas, vt non pereat homo, & tempus pœnitentiæ concedis, vt conuertatur, & viuat; quis ergo non clamabit: miſericors dominus, & miſerator? quis te non amet, qui non iraſceris per ſingulos dies? verè longaminis, quoties domine infernum merui, & inferni pœnas, & adhuc ſuſtines, vt non cõdemnes, & quid dicam miſer, quando ante te ero iudicandus, ſi tuis vocationibus ſurdeſco, & te ſequi non curo? nõ ſic domine, non ſic; ſed ita voca, vt te audiam, quia beatus homo, qui audit te, mortifica concupiſcentiã meã, qua nimis me amo, vt amem te, vt voluntati tuæ ſubiaceam libenter, & dicam, sed in lege domini voluntas mea, & in lege tua meditatio mea ſit nocte, & die, & dicã sẽper, Deus meus miſericordia mea.

CON

CONSIDERATIO III.

QVid eſt Domine; Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei; niſi feſtum diem agant; & quæ erit feſtiuitas glorioſior; niſi quādo epulantur, quibus epulis, niſi illis, in quibus facis Domine conuiuium pinguium, pinguium medullatorum, quando ſaginas nos frumenti adipe, quod eſt corpus tuum: ſuperabundātia ſunt conuiuia tua Domine, inde collegerunt poſt multitudinem ſatiatam, duodecim cophinos fragmentorum; inde dicitur, Aperiente te manū tuam, omnia implebuntur bonitate; inde pluit manna ad manducandum, & cibaria miſiſti in abundantia: quis non videt in huiuſmodi figuratā mentem, vbi omnes te ipſo ſatias, & bonitate reples; torrente voluptatis Beatos ſatias; hìc autem te ipſo, quod es Patris delitiæ, ſatias etiam peccatores: ò dulcis Ieſu, ò bone Saluator; inde dicis, Et delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum; ò ſacramentum verè magnū, & mirabile, & exaltans hominem, vt ipſe Deo: & Deus ipſi miſceatur; quis in-

intelligit miſericordias Domini? cui hæc conſideranti non vileſcit mūdus, & quæ ſunt mundi? Quare ergo Domine, miſer ego, & vilis peccator non ſurgo, & infixus ſum in limo ſæculi huius, quando dignaris habere me commenſalem tuum; niſi quia bene diſpoſitus non accedo; inde dicit; iuſti epulentur: ſed qui facit de peccatoribus iuſtos, niſi tu qui iuſtificas impiū, & iuſtificatos glorificas, cuius gloriæ pignus das, quando iuſto te ipsū præbes, iuſto cōmunicas non ſolùm gratia ſpirituali, ſed præbens corpus, & ſanguinem propinans, vt ſaginatus, & ebrius diuino cibo, quaſi Deus euadat, factus diuinæ conſors naturæ: Ego autem, Domine, vermis hæc audeo cogitare, & non erubeſco peccator vilis; oſtende Domine mihi abiectionem meam, videam me ipſum peccatorem, vt gratia tua, quæ denatat de tumoribus collis, perueniat ad me; quia tu infima mundi eligis, vt confundas fortia; ò Deus, & homo, qui tam libenter pro peccatoribus mortuus es, vt quia reſurgens ex mortuis, iam non moreris, ſacramentum, in quo repræſentatiuè morereris, inſti-

tui-

tuiſti, quaſi exultans in qua pro me ſuſtinuiſti morte; ò felix homo, qui te ſemper mortuum habet in corde, vt tecum in æternum viuat; & dum moritur, non moriatur, quia ſecum habet vitam, & ſit mors tranſitus ad veram vitam, ad quam nos perducere digneris tu; qui potes, Ieſus Chriſtus, cibus noſter, & vita.

CONSIDERATIO IV.

CONfiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui, quos tales gratia tua reddidit, benedicant tibi; ſed non ſolum ipſi, verùm etiam confiteantur tibi miſericordiæ tuæ, & miſerabilia tua filijs hominum: & quæ ſunt Domine miſericordiæ tuæ, niſi quando ſedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro, & qui exacerbauerunt eloquia tua, & conſilium Altiſſimi irritauerunt, educis de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum diſrumpis, vt dicant, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus; ſed vltrò ſe porrigunt miſericordiæ tuæ; tu enim educis vinctos in fortitudine, eos nempe,

q·ios

Digitized by Google

quos nodis firmiſſimis, atque arctiſſimis vinculis, atque compedibus nexos peccata tenent, facilè ſoluis, vt ipſimet admirentur, & modum non intelligant, & nedùm eos, qui iuſſis tuis obtemperant, liberas, verum etiã eos, qui eorum cordis duritie mandatis, & vocationibus tuis reſiſtunt, hoc eſt enim ſimiliter eos, qui exaſperant; ò dulcis Dominus, ò verè pius, verè miſericors, quoties me vocaſti, & renui, quoties, quoties ſolutum à peccatis in viam mandatorum tuorũ deduxiſti, multò felicius, quàm populum tuum in manu Moyſis, & Aaron, & iterum, atque iterum ad peccata redij, & nihilominus non extinguitur miſericordia tua; nemo ergo exaſperet, ſed ſi exaſperauerit, non deſperet: tu enim ſoluis, qui habitant in ſepulchris, liberas enim incluſos foueis, carceribuſq; ſubterraneis eos, quos quaſi in ſepulchro incluſos, & repoſitos peccata tenent; imò contumaces etiam, qui in arenti habitant ſiccitate, quaſi ficulneæ infructuoſæ, aqua gratiæ tuæ fluente fructuoſos reddis, & corda eorũ arentia olim in lacrymas reſoluis, vt dicant; Fuerunt mi-

mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte; laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectũ meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo: Repetat ergo anima mea, confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & benedictum ſit nomen maieſtatis tuæ in æternũ, & in ſæculũ ſæculi.

CONSIDERATIO V.

SVper verbis amantis ſponſæ; Egredimini filiæ Syon, & videte Regẽ Salomonem in diademate, quo coronauit eũ mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ſui: tu es Dominus Ieſus verus Salomon in primo Salomone figuratus, Rex pacificus, qui magnificatus es ſuper omnes Reges vniuerſæ terræ: quæ eſt autem hæc deſponſatio, & qui dies lætitiæ? niſi dies Conceptionis tuæ, quando in vtero matris naturam humanam vti ſponſam cœleſtis ſponſus perpetuò tibi copulaſti, eamque donis ampliſſimis exornaſti; vnde Dauid in ſpiritu conſiderans diem Natiuitatis tuæ, lætus, & hilaris cecinit; Dominus procedens de thalamo ſuo, quod

ego

ego tamen Domine cogito, vt exaltē miſericordiam tuam, hoc eſt; nonnè tu es Verbum æternū Patris, ex eius mente fæcunda ab æterno naſcens; vnde dicitur, ex vtero ante Luciferū in ſplendoribus ſanctorū genui te: quare ergo non ille æternitatis dies lætitiæ diē nominas, ſed potius tempus Conceptionis tuæ, quando carnem meā aſſumis, & totum, quod eſt debile meū abſque peccato? hìc obſtupeſco, hìc exclamo; ò miſericors, & miſerator Dominus: exultas namq; quādo carnem induis, & quaſi gigas ad currendam viam iubilas, quia ſuprema confers homini beneficia, & te ipſum tormentis tradis, vt hominem redimas: non quia ſolum redimis; hoc enim facere poteras vnico voluntatis tuę actu, ſed quia ſanguine redimis, ſed quia conuicia ſuffers, acutiſſimis ſpinis in capite vulneraris; corpus flagellis affligitur, latus lanceà confoditur, manus, & pedes clauis feriūtur, & à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in te ſanitas, & hoc vocas coronam, & diadema. Quare ergo mihi afflictionis dies non erit lætitiæ, & exultationis, vt dicam; *Di-*

le-

lectus meus mihi, & ego illi; & tamen tu pro me patiebaris; ego pro peccatis proprijs; & leuiter caſtigas me: ſed vide Domine, & conſidera, quoniam caro ſum; reminiſcere, quod de luto feciſti me, vide, quia ſenſus mei vndique diſtrahũt me, & de te cogitare nõ deſinunt; imprime Domine cordi meo amorem tuũ, quia ſi te amem, & mecum eris, & ſi ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala.

CONSIDERATIO VI.

MEmorans verba Pſal. 84. Deus tu conuerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te, ſic meditabatur, & in diuina miſericordia fortiùs ſperabat: Ego Domine, dùm peccaui, à te auerſus ſum, vt autem plangam peccatum meũ, eiuſque me pœniteat, non ego primus ad te conuertor, ſed prior tu conuerteris, & vocas, auxiliumque præbes, ò magna miſericordia, ò infinita bonitas: Ego erraui, ſicut ouis, quæ perijt, ſed tu quæris ſeruum, tanquàm diſperſam ouem, & ad gregem reducis; beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in

atrijs tuis; tu vocas, tu eligis, tu aſſumis, & quaſi gerulus brachijs tuis geſtas, nedùm errantem, ſed errando infirmatam ouem: inde nos oues paſcuæ tuæ confitebimur tibi in ſæculũ, quia tu eruiſti animam meã, vt non periret, & proieciſti poſt tergum tuũ omnia peccata mea: ouis remanet in brachijs, peccata verò poſt tergum; inde viuificas nos, quando mortui eramus, peccatum enim cum conſumatũ fuerit, generat mortem, quid ergo eſt ſalus mea, niſi conuerſio tua ad me, vt ego conuertar, ſana domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero; tu enim incipis, quæ ſalutis ſunt, quia tu es Deus ſalutis meæ; inde clamaui in die, & nocte coram te; ego miſer incipio, & perficio, quæ perditionis meę ſunt, quia ex te perditio tua Iſrael, Propheta tuus dixit. Sed ò dolor, ò gemitus, quoties Domine tu conuerſus ad vitam reuocaſti me, & iterùm à te peccando auerſus, vitam perdidi, & mortem inueni? quæ autem vtilitas eſt in morte mea, neque ad vitam reuocari poſſum, niſi à te, quia tu vita es; conuerſus ergo viuifica me, vt anima mea lætetur in te, laudes tuas canat, hymnoſ-

noſque celebret, & exaltet miſericordiam tuam.

CONSIDERATIO VII.

LOquebaris tu domine Deus Moyſi ſeruo tuo, ſicut ſolet homo ad amicũ ſuũ,& coràm te inuenit gratiã; & nihilominus petit, vt oſtẽdas ei gloriam tuã Dauid ſeruus tuus, quem tu hominem vocaſti ſecundũ cor tuum; exclamat tamen; ſatiabor, cum apparuerit gloria tua; quæ eſt iſta gloria, niſi paſſio tua, crux, & tormenta tua? tu vocas mortem gloriam tuam, quia ſanguinem tuũ fudiſti non pro amicis tantùm, ſed etiã pro inimicis,ſic Moyſi reſpondes; tranſire faciam omnem gloriam meã ante faciem tuam,populi ſcilicèt Iudaici, cuius tu vices tenes; quando autem tranſis glorioſus corã populo, niſi quando venit hora,vt trãſeas ex hoc mundo ad Patrẽ; niſi quãdo coram populo moreris,& omnibus parcis; hoc exclamabat Dauid; videbat enim ſacrificia illius temporis, ſacramenta,& cęremonias nihil magis eſſe, quã figuras, & vmbras, quæ non poterant perfectum facere ſeruientem;

te autem dominum Ieſum eſſe corpus, & veritatem in cruce morientem, & ſanguinem effundentem; vnde ſatiabor (dicebat) cũ in cruce exaltatum te videam; non enim vmbræ ſatiant; quare ergo miſer ego peccator fame pereo, niſi quia te crucifixum non habeo in cordę meo; tu dilectus meus amaritudine plenus, quaſi myrrhę faſciculus inter vbera mea non commoraris; tu gloria mea, & exaltans caput meum, ſemper gloria, ſed felicius pro me, quando exaltationem tuã vocas crucifixionem; tunc enim omnia trahis ad te: ò crux felicior, ò Ieſu amantior, tu pro me opprobrijs ſatiaris, & ego quare non ſatior memoria paſſionis tuæ: gloriæ tuæ, & dicã, ſatiabor, cũ apparuerit gloria tua: quare non recogito tàm magnã miſericordiã tuã? quare tecũ non configor clauis, & ſepior ſpinis; ò felix corona, quæ Deo infigitur tanquã reo, vt ego liberer verus reus, & coronam merear adipiſci: quis hæc intelliget? cuius cor non liqueſcet, cũ hæc conſiderat? ſed heu me, intellectu diſcerno, corde autem non percipio: quid eſt hoc? niſi quia non amo: coagulatum eſt, ſicut lac cor meum, & in

paſ-

paſſione tua non meditor die, ac nocte: quomodò ergo ſatier? Tu Domine, qui dicis: venite comedite panem meũ, & bibite vinũ, quod miſcui vobis, voca me ad te panem verũ, ad vinũ lætitiæ, quod eſt ſanguis tuus: pane confirma me: vino lætifica me, redundet os meũ, & cor meũ ſanguine tuo, inebria me amore tuo, in hoc enim recolitur memoria paſſionis tuæ, & gloriæ tuæ: inde dicam; non ſatiabor, ſed ſatiatus ſum: inde amore plenus dicã: factũ eſt cor meum tanquã cera liqueſcens in medio ventris mei, quia tu ſatiaſti me; repleatur os meum laude, vt cantem magnitudinem tuã, tota die laudem tuam.

CONSIDERATIO VIII.

VErè Domine benignus, & miſericors es, quia creaturę tuę miſereris, non ex meritis illius, aut aliqua ratione impellente: ſed ex mero, puroque amore eius, quem vides in neceſſitate conſtitutũ, ò vera mater, quæ miſeretur pueri vteri ſui, verè miſericors, & miſerator affectu miſericordiæ viſceribus tuis inhærente, &

in operibus miſericordiæ continuus: inde diceris multus in miſericordia, non quia in reliquis paucus: tu enim in ſapientia magnus: & ſapientiæ eius non eſt numerus: in potentia magnus, omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis; in duratione magnus; à ſæculo, & vſque in ſæculum tu es Deus; magnus in maieſtate, & gloria; pleni ſunt enim cęli, & terra gloria tua: ſed quia opera miſericordiæ tuæ alijs operibus tuis longè maiora; miſerationes eius ſuper omnia opera eius: & inter hæc maximum opus patientia in ſuſtinendo peccatorem, qui renuit; & iterùm vocas, hoc eſt, dirigat corda noſtra tuæ miſerationis operatio, opus illud inſigne, & occultum, quo dirigis peccatorem ad æternam ſalutem, neque cogis, ſed illum intus accendis, & accenſum cor, etſi ferreum iam ignitũ molle reddis, & recipiendis inſpirationum impreſſionibus aptum: vnde dicitur: ignitum eloquium vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud, & carbones ſuccenſi ſunt ab eo; denigrata eſt enim ſuper carbones facies peccatoris; tu autem flatu miſericordiæ tuæ

con-

Digitized by Google

conflas, & emundas denigratam conſcientiã, eamque illuſtras, & ita emundas, vt lynceis oculis tuis, non appareat macula, neque ruga; quis intelligit? & quid intelligere opus eſt, dicat anima mea; opus tuum Domine eſt, & inter opera tua opus miſericordiæ, in quibus te magis exerces, quod mea intereſt, ò dulcis, & ſuauis Creator, & Redemptor meus, hoc eſt, vt mecũ ſis operator miſericordiarum, neque peccata mea à tã proprio opere tuo te auertant; hoc rogo, hoc ſupplex exoro, hoc à te in cruce pendente exopto, vt dicam: Deus meus, miſericordia mea.

CONSIDERATIO IX.

QVis eſt, Domine, ſponſus ille, qui morã facit? niſi tu dominus Ieſus, quomodo autem tardas, qui es ignis, ardens, imò ideò moram facis, quia amas, quia charitate flagras; videbas enim quinq; illas Virgines, creaturas ſcilicèt tuas, vocatas ad nuptias, quas tuo illis ſanguine præparaueras abſque oleo charitatis, ſine qua ad cęnã agni, ad cœleſtis nuptias non intra-

tur; vnde differs, & tempus das ad oleũ charitatis, & amoris comparandũ, & in corde tanquã vaſe reponendum, vt non ſine amore quis in hora mortis inueniatur, olei defectum in nocte non ſupples, aquam in vinum vertiſti, panes in deſerto multiplicaſti; his enim in die vtimur, quæ eſt hæc vita, in nocte autem, quando nemo poteſt operari deficientem amoré non ſupples, opera deficientia ſupples, ſi in charitate quis moritur, ideòque gloriã, quaſi denarium das venienti ad vineam in vltima hora, amore non mercede inuitatus, dicat bonus latro, quæ fuerunt opera ſua, reſpondebit, certè mala, quare ergo audiuit, hodie mecũ eris in Paradiſo, niſi quia charitatis habebat oleũ, niſi quia in hora mortis amore flagrauit; in corde eius ſcintillę ignis, inde alæ eius ignitæ, quæ ipſum ad cœlum leuarunt; ò felix anima, quę impetu amoris ducitur, & intenſius te amat: tu es domine oleũ effuſum, quia charitate perpetua diligis nos; ſed quare miſer amoris materiam tracto, ſi frigidus maneo, & non in charitate? ſed tu dulcis Ieſus, qui frigidos conuertis in amantes, & conuerte

me,

me, dicat Maria Magdalene, quàm frigida peccando remanſeras, & quàm fortiter poſtmodum amando ardebat; quis hæc fecit domine, niſi tu, qui es miſericordia Patris? An ergo obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Ecce cor meum in manus tuas cōmendo, immuta illud, ſi eſt frigidum, accende: ſi immundū, laua: ſi aridum, ſaluifico rore madefac illud; concede mihi amorem tuū, vt dicā ſemper; Introduxit me Rex in cellam vinariam, & vexillum eius ſuper me amor, amem te ſemper, & in amore moriar. Amen, amen.

CONSIDERATIO X.

VEre Dominus, & Saluator meus Ieſus Chriſtus, filius Dei es, & filius hominis es, filius Dei propter formam Dei, filius hominis propter formam hominis, ſed, ò pietas immenſa, ò excedens amor, quando in forma Dei te demonſtras in monte ſolitario, & paucis viris te demonſtras, & pauci vocem audiunt Patris: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè com-

placui: quando verò in forma hominis, quaſi id oſtentans, multis oſtendis, quid dignatus ſis eſſe pro nobis, & ſic clarè figuram hominis demonſtras, vt quaſi nil aliud in te videretur; non eſt ſpecies, neque decor, vnde nec reputauimus eum; hinc legimus; Homo eſt, & quis cognoſcet illum? ò vera humilitas, quæ in charitate exaltatur; in te inhabitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & tamen quando eam corpori communicaſti; vnde dicitur; Non externè corpori gloria acceſſit, ſed internè ex Dei Verbi Deitate modo quodam omnem ſermonem excedente ipſi perſonaliter vnita, breui temporis interuallo communitas, vt te hominem exhibeas, & pro me pati poſſes, quis hæc rependens non amet? quis hæc recogitans propriam ingratitudinem non deſtet? quare Domine cor meum ſic areſcit, & non plãgit amarè? hic recogita, hìc fige cogitationes, conſidera Verbum, verum Deum de Deo vero; vnde dicitur; vidimus gloriam eius, gloriã quaſi Vnigeniti à Patre; pro te caro factum, vt te redimat; hinc audis; empti enim eſtis pretio magno, & quare anima

mea

inea non confunderis, & erubeſcis? ſi quando hæc credis, & bene factorem tuum infrunitè offendis? Verè Deus miſerator, & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia tu es; niſi enim talis eſſes, me non ſuſtineres, da mihi Domine fletum, da planctum. Quam benè de te domine Ieſu cecinit Dauid: Et tronus eius, ſicùt ſol in cõſpectu meo; ſol enim materialis, qui tua diſperſatione creaturis corporalibus præeſt, nihil ab eis recipit, benè autem illis beneficia ſua confert; tu autem ſol iuſtitiæ das omnibus affluenter, & cum ſis totus in omnibus, cunctis prouides, lapidibus das eſſe, plantis, & arboribus vegetare, brutis animalibus ſentire, hominibus, & Angelis intelligere; ab eis autem nihil recipis, & ſi aliquando humanitatem, quaſi de noſtro aſſumpſiſti, vt nobis dares, accepiſti; inde dicis; caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; & ſubſequeris; accipite, & comedite. Quis mihi det ſuper hoc recogitare? vt te toto corde amem: quaſi diceres; caro, quæ aſsũptione in Deum eſt effecta diuina, non pro me, ſed pro vobis accepi, vt veſter ſit cibus, & ſanguis potus; ò *Sapientia*

diuina, quis intelliget opera tua; tu quaſi fermentum, diuinitatem tuam, in farinæ ſatis tribus abſcondiſti, dùm noſtram naturam aſſumis, & ità abſcondis, vt dicatur; verè Deus abſconditus in farinæ ſatis tribus, quia ex ſpiritu, anima, & corpore humana natura componitur: vnde Paulus; vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſeruetur; vel quia in tribus filijs Noe ſeruaſti eam, nè periret: Quàm magna, quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine; oleaſtrum inſeris in bonam oliuam; noſtram namque aſſumis naturam, & inſeris diuinæ; parce Domine, ſi neſcio, quid dicã, quia puer ſum, & neſcio loqui: ex hoc caro diuina euaſit, & diuinæ plena virtutis, & pleno ore dicitur; In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corpotalitèr; inde humanitas à diuinitate, quaſi à fermento cruda maſſa ſic penetratur, & præparatur, vt fons perennis euaſerit perfectionum, & dicitur; Vidimus gloriam eius, quaſi Vnigeniti à Patre; quare hoc? vt dicatur, namque & de plenitudine eius omnes accepimus; ſic tronus tuus, ſicùt ſol; ſic mihi totum factum eſt; Ecce Rex tuus venit tibi;

No-

Nobis datus, nobis natus; ſic Maria huius fermenti implet typum, dùm de ſupernis ſuſcipit fermentum Verbi, & humanam carnem in aluo Virginis, imò in alueo Virginis cœleſtem totam conſperſit in maſſam, vt tota fermentata, & perfecta reddatur, & effecta diuina mihi detur in cibum, & ſanguis in potum, vt me ſatiet, vt me reficiat, vt me recreet, ò bone Ieſu, benè video, quod miſericordiam, & iudicium diligas, ſed miſericordia tua plena eſt terra; da mihi Domine hæc contrito corde conſiderare, vt dignè te valeam degustare, & dicam; domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

CONSIDERATIO XI.

FIat manus tua, vt ſaluet me: Verbum tuum, quod apud te ſemper extitit, quod ex te generas, quod eſt ſemper tecũ in diebus æternitatis tuæ, hoc nempè eſt manus tua; omnia enim per ipſum facta ſunt, ſiuè quæ in cœlis, ſiuè quæ in terris ſunt: verbum tuum genitum non factum, fiat Domine, vt ſaluet me; niſi enim Verbum caro fiat, ad mortem tenderet totius humani ge-

generis maſſa damnata: fiat itaque, vt ſaluet, quando enim factum eſt; tunc dicitur, & vocabis nomen eius Ieſus, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuū à peccatis eorum; priùs factum eſt, deinde ſaluum faciet, ò felix fiat, vnde facta eſt ſalus; totum enim, quod factū eſt, in ipſo vita eſt, in ipſo enim factum eſt, qui ſemper erat: Verbū enim erat apud Deum, & Deus erat Verbum; vnde nimirum ſi quod in vita fit, vitale eſt, inde tribulationes vitales, imò eadem mors vitalis, quia non tendit ad mortem, ſed vt fiat tranſitus ad veram vitam: viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace: dū enim mors aggreditur vitam, quæ pendebat in cruce, inclinato capite, quaſi aſſenſum præſtans morti petenti, exhalat ſpiritum, & præſentem mortem vitalem reddit, hinc vitalis in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, quia quod factum eſt in ipſo vita erat; & nimirùm quia vita erat, ò dulcis, ò bone Ieſu, ò Saluator cibus, ò dulcedo mea; ſalutare vultus mei, & Deus meus, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter, ſemper Deus, ſemper Dominus, ſemper iuſtus, quia

iuſtus dominus, & iuſtitiam dilexit; quando autem noſter? niſi in diebus, quibus ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter; quando noſter? niſi quando facta eſt Domine manus tua, factum eſt caro Verbum tuum, vt ſaluet me, vt viuificet me, hoc eſt, ſaluum me fecit dextera tua; quid eſt dextera tua? niſi miſericordia tua; & quid miſericordia tua? niſi Verbum tuũ; quia apud Dominum miſericordia; Deus meus miſericordia mea: quid eſt apud dominum, niſi Verbum ęternum; Verbum erat apud Deum, quod erat apud Patrem, & apparuit nobis; quomodò autem ſaluum me fecit, niſi quando dextera tua, quæ fecit, priùs facta eſt; fiat ergo manus tua, vt ſaluet me; niſi enim ad meam ſalutem, ad quid fieri, quod erat? ò excedens miſericordia, ſi dici liceat, ò anima mea quare non amas, ſi vides Deum pro te factum, vt te ſaluet; ò cœcitas maxima, ò cogitationes meæ, quo tenditis? quare Verbum caro factum per te non tenes in corde, vt dicas faſciculus mirræ dilectus meus inter vbera mea commoretur; paſſiones enim dilecti ſponſi vitales pro me ſunt, quia pro mea ſalute,

in Verbo factæ ſunt, quod vita eſt; hìc ſurgat affectus, hinc deriuent lacrymæ, hùc ſint amplexus, & gratiarum actiones, quia vita manifeſtata eſt, & vitam vidimus, & annuntiamus vobis, quæ erat apud Patrem; quare hoc, niſi vt ſaluet me? Verè Saluator meus de inimicis meis iracundis, propterea confitebor tibi in populis Domine, & nomini tuo pſalmum dicam.

CONSIDERATIO XII.

LAudate Dominum, quoniam bonus eſt dominus, & pſallite nomini eius, quoniam ſuaue; ſemper dominus; & dominus bonus, ideò laude dignus; nomen autem eius, cui non Angelus, ſed Pater nomen impoſuit, quod eſt Ieſus, ſuaue eſt, dulce eſt, ideòque dulci ſono carmine pſallere ei debemus in decachordo pſalterio cũ cantico in cythara; ſed & lingua mea tota die modulabitur iuſtitiam tuam; ego autem dicam miſericordiam tuã, Nedùm autem voce exaltare oportet nomen illud, in quo omne genu flectitur; verùm etiam in manu inſonare, quod eſt obſeruantia præceptorũ tuorum

rum Domine: verè domine Ieſu ſuauis es vniuerſis; ad hoc enim veniſti, vt ſcilicèt populi conuenirent in vnũ; per te enim factum eſt, vt non ſit diſtinctio Iudæi, & Græci, & diues, vt ità dicam, factus eſt Deus in omnes, qui inuocant illum; quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo, olim canebat Dauid; per te autẽ canit hodie anima Chriſtiana; quàm dulce corpus tuũ, & ſanguis tuus ſuper mel ori meo, hoc præuidens Regius Propheta exclamabat; Guſtate,& videte, quoniam ſuauis eſt dominus; guſtare proprium cibi eſt, & tu Ieſu dulcis dicebas de te; caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, ò cibus, ò potus, ò ſuauis dominus,& Saluator; Bonum eſt confiteri domino, & nomini tuo pſallere; hinc dicitur; pſallam tibi Deus meu; tu enim es cauſa noſtræ exultationis, & ſalutis; Pſalmus Deo noſtro ſit iucunda, decoraque iubilatio, qui ſanat contritus corde, & alligat contritiones eorum; excita Domine cor meum, vt tibi pſallam, vt te laudem, & dicam, exultabo in Deo Ieſu meo,vt tu Pſalmis me canentem deducas ad excelſa tua, ad glo-

gloriam tuam. Amen, Amen.

CONSIDERATIO. XIII.

QVis tibi, domine Ieſu, verus Deus, & homo decorem, & pulchritudinem contulit? vnde dicitur ſpecioſus forma præ filijs hominum, niſi mater tua, Beata mater, & Virgo, quæ enixa eſt puerpera Regem, in ventre enim ſuo, empireo cœlo, puriore, imò eadem Angelica natura candidiore, ex virginali ſanguine ſancti Spiritus virtute ineffabiliter ſuperueniẽte carnem traxiſti, & corpus aptaſti, in cuius membrorum congruentia, & coloris ſuauitate conſiſtit decor, hinc dicis, & pulchritudo agri mecum eſt; antequã enim caro fieres, & corpus aſſumeres, quando Verbum eras apud Deum, & Deus eras, haud propriè ſpecioſus, & pulcher diceberis; & quis videre te poterat, quando eras in latibulis æternitatis tuæ; poſteà autem pleno ore dicentem dilectum Apoſtolum audiuimus: quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, quod videtur, quod palpatur corpus eſt; hoc autem corpus non aliunde, quàm mater-

terna traxiſti ex carne; vnde ventrem te portantem, typo mulieris geſtante Eccleſia, beatum exclamauit. Et crux tua vnde ſumpſit decorem, niſi ex mẽbris tuis; hinc canit ſancta mater Eccleſia, ò crux benedicta, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti; ideòque ſponſa canit; pulcher es dilectus meus, & decorus, vt tu dicis: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: ſi enim ſola memoria pulchritudinis tuę cor accendit, & affectum excitat amoris, quid fuit eam videre, eamque domine (liceat dicere, contempſiſti, & pro me in cruce mori dignatus es: vnde audiuimus: videmus eum, & non erat ei ſpecies, neque decor, imò neque erat aſpectus: ò bone Ieſu, quis mihi det hæc cordi meo infigi, vt ex eo nunquam decidant, quis mihi det, hæc ità recogitare, vt cor meum amore ardeat, & te nunquam offendat: non ceſſent oculi mei à lacrymis, dum te Deum meũ ſic amantem offendi, & ſæpè ſæpius ad peccata redij: ò erubeſcentia, ò confuſio, quare non operitis faciem meam, vt dicam: confuſio faciei meæ cooperuit me: ò Maria mater miſericordiæ, impetra pro me,
vt

vt hæc merear cogitare, Deum meum Ieſum filium tuũ totis amare viſceribus, vt gratia ſua, & interceſſione tua ad eum valeam peruenire. Fiat, fiat.

CONSIDERATIO XIV.

VIdebam te Domine extenſis in cruce brachijs, & clauis confixis manibus vocantem me, audiebam vocem: venite ad me,& ego reficiam, exſtimulabar inſpirationibus tuis, & adhùc venire recuſo, adhuc ſæculi cupiditatibus vinctus detineor, ò me miſerũ: audacter autem dicam, Domine parcat mihi excedens bonitas,& miſericordia tua: voces tuæ non ſufficiunt, vt à ſomno exciter, & ſequar te: trahe me, & ſic currã, non tractus, quaſi inuitus veniã, ſed ſi trahis, libenter currã, & currens exultabo: tu enim das velle, & perficere pro bona voluntate, opus miſericordiæ tuæ eſt, voluntatis humanæ perfectio, ſi enim velit ſine te, non perficiet: tu educis in fortitudine, in congruentijs nempè facis, vt quis velit, & legem tuã exequatur: currã autem, ſi tu trahes domine in odorem vnguentorum tuorum, quia

oleũ

oleũ effuſum nomen tuum: quid eſt oleũ effuſum, niſi exinaniuit ſemetipſum, ſic occultando diuinitatem, vt nihil extra hominem videretur, & pro me pati poſſes, viam quaſi gigas exultans cucurriſti prior, & ſemitas pedibus tuis dilataſti: vnde dicitur: eduxit me in latitudinem, ſaluũ autem me fecit, quoniam voluit me, voluntate autem conſequenti, ſi velis domine, ſaluus ero, hoc te ſupplex rogo, & genuflexus in faciem procido, & dico, Memorare domine, quòd tu feciſti me, & non ego me; nè ergo perdas me: vt ergo me ſalues, diſrumpe vincula, dicã animosè, parce mihi domine Deus, ſic me ligant peccata mea, vt niſi frangas, nõ ſoluentur, & quis diſrumpet, niſi tu Deus fortis, nè dicas, ſoluite, & adducite mihi, ſed vadam, & frangam, inde dicam, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis: hinc cor meum, & caro mea exultabunt in Deum viuum. Sic fiat, ſic fiat. Amen.

CON-

CONSIDERATIO XV.

QVid deſidero, quid volo Domine Deus meus, niſi adhærere tibi; vt dicam: mihi autem adhærere Deo bonum eſt; vt autem hoc fiat, neceſſe eſt; vt ſuſcipiat me dextera tua, alleuet me miſericordia tua; inde lætus pſallam, Adhæſit anima mea poſt te; quid eſt autem adheſit anima mea poſt te, niſi te præeuntem ſequutus ſum, & ita ſequutus, vt inter te præeuntem, meque ſequentem nullum eſſet medium; ſic erit ſtudiũ meum ardens ſequendi te, nullo alterius rei, aut commodi reſpectu interiecto tibi obediam Domine, hoc autem fiet; ſi tu non alio aliquo medio iuueris, ſed interiecta manu? quæ eſt miſericordia tua, apprehenſum tenens erexeris, atque ſuſtinueris; vides enim Domine, quòd corpus hoc aggrauat animã, & impedit, quominùs ſequar te, teneat ergo me dextera tua, ſit mihi baculus, quo ſubſtenter, & virga impellens, vt ſequar te; præeas Domine ante me, quaſi lucerna pedibus meis, & lumen ſemitis meis, quia ſi ſequar te,

te, quid mihi mali accidet vnquam? aut quid boni deficiet ſequenti te, ſi tu dixiſti, habebit lumen vitæ; quis mihi det hoc bono frui, vt te ſummum bonum inſeparabiliter ſequar; videam ſemper ante me Dominum meum, lumen meum, adiutorium meum, accédetur cor meum amore eius, qui paſtor bonus oues ſuas præcedit, vt ducat ad ouile exultationis, & lætitiæ; amans præcedit, & vocat, & ſi quando ſequi differunt, expectat, vt miſereatur, reſpicit retro, vt oculis viuificet, & dulciter trahit, vt ſequantur: ſic ſequatur Domine, vt tandem ad te perueniam, & dicam; Dextera Domini fecit virtutem, exaltauit me; & benedicat caro mea nomini ſancto tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Amen.

CONSIDERATIO XXI.

ELeuans mentis oculos ad Diuum Paulum protectorem ſuum, ſic orabat: ò ſancte Apoſtole, vas electionis, quomodo non ſperem in interceſſione tua, ſi in hac vita charitate abũdauit cor tuum, vt eſſes omnia omnibus,

bus, & de te dicebas, Sapientibus, & inſipientibus debitor ſum; quantò magis pro ſeruis tuis, & pro me, qui ſub protectione tua viuere profiteor perpetuus cliens: ab anima tua beatā nequaquàm ceſſarunt iuſtæ dilectionis cauſæ, charitatem tuam, ò ſancte Apoſtole, qua repletus nullis peperciſti laboribus, & quaſi vitæ prodigus fortiter dicebas; nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me, dũmodo cõſumẽ curſum meum, & miniſterium verbi, quod accepi à Domino Ieſu: beata illa patria non immutauit, ſed augmentauit; imò quantò amplius, quantò verius noſtras miſerias agnoſcis, tanto intenſiùs te orare Deũ pro nobis credendum eſt, & cum ante fõtes miſericordię exiſtis, tantò potius viſcera miſericordiæ indutus, ora pro me, vt iam incipiam bene viuere, & conuerſationem tuam merear in cœlis: valida erit, quis dubitet, interceſſio tua, quia Dominus voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet; tu es ille, qui ſtatim poſt conuerſionem tuam orare cœpiſti, & in oratione Dominó confitentẽ Dominus ſanctum vocat, & Ananiam red-

reddit ſecurum, nè timeat accedere ad te; ecce enim orat; iam cæperas exercere charitatis officia, & perſecutor eſſe deſieras: Quæ erit in cælo charitas tua erga proximum tuum, maior autem erit erga eum, qui plus opus habet eà; tu ſcis humilitatem meam, & laborem meum; paucitatem virium mearum ad bene operandum bene vides, ſicut vides paucitatem dierum meorum? impetra mihi, ò amice dilecte, ò toto corde dilectus aduocatus, immutationē cordis, & inclinationū, impetra mihi, quod cupio; vt ſcilicet oculi mei reuelentur, vt conſiderē diuina præcepta, ceſſet inordinata concupiſcentia mea, meritis interceſſionis tuæ miteſcat ira, ſufferentiam in laboribus, & ærūnis à Deo, te orante, Diue Paule expecto, vt nihil ſeparet me à charitate Dei, & amore Chriſti Ieſu: compatere ſancte Apoſtole mihi viliſſimo peccatori, quia ſi impaſſibilis es, non es effectus incompaſſibilis, imò compatieris libentiùs, quia propiùs viuis Deo, qui bene ſcit compati infirmitatibus noſtris; Ecce ſeruus tuus infirmatur, refoue eum viribus interceſſionis tuę, ſaluū me fac ora-

tione tua, ecce enim pereo.

CONSIDERATIO. XVII.

QVare Domine, Saluator bone, dulcis Ieſu, Magiſter, & Præceptor mundi, vt doceas, aſcẽdis in montem, niſi quia doctrina tua ſatis ſingularis eſt, & à doctrina huius mundi ſatis remota; hinc dixit Dauid; mirabilia teſtimonia tua, quod eſt, ſeparata, ſatis lex tua huius ſæculi legibus repugnat; quid enim docet mundus, quod carnalis homo libenter audit, niſi felices diuites, clamans; Beatus populus, cui hæc ſunt: amicos amare, inimicos odiſſe, quietem in diuitijs ponit, vnde impellit homines ad earum acquiſitionem, delectationes magni facit, & ad earum hortatur ſequelam: Tu verò mortificationem doces carnis, felicitatem in paupertate ſpiritus iactas: amicos, & inimicos diligi iubes: dimittere diuitias hortaris, & mandas, & ſpinas appellas, quæ animum infligant, & vulnerent; nimirum ſi ſeparatam doctrinã, & mũdo repugnantem in ſeparato loco, & ſe-

ſeorſum doces, vt à mundo ſeparati auditores intelligant, & proficiant, doctrinam tuam vocat Dauid, eloquia caſta, argentùm igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplũ: & alibi legitur; quæ deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica, ſincera eſt, deinde pacifica, modeſta, ſine ſimulatione: Quid eſt argentum igne examinatum, & purgatum terræ, niſi argentum igne probatum abſque ſcoria, à terra ſeparatũ, non terram ſapiens, ſed cælum, & quid mirum, ſi tu doces eam ſecundus homo de cœlo cæleſtis; à terra ergo ſeparentur eam audituri, vt fructum afferãt. Sed heu me miſerum, qui terræ conglutinatus viuo, qui terrena ſapio, & ab ea ſeparari non valeo, quid faciã, auxilium tuum expeto Domine: tu enim potes, ſi vis: imprime doctrinã tuam cordi meo, reple documentis tuis animam meam, dicam, & repetam, quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſtillet vt ros eloquium tuum ſuper cor meum, vt amplius non areſcat, ſed fructum afferat, ne tanquã infructuoſa ficulnea eradicetur, & in ignem mittatur; ſic fiat Domine, vt

dicam; miſericordia Domini plena eſt terra.

CONSIDERATIO XVIII.

QVàm magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundę factæ ſunt cogitationes tuæ; quis mihi tribuat magnificare magnificentiã tuam; dum eſſes à ſæculo, & vſque in ſæculum Deus; & pro me naturã hominis aſſumis, vt redimas me, cum potior hominis pars ſit anima, nihilominus auditur, & dicitur; Verbum caro factum eſt; non anima factum; quid eſt hoc? niſi quia magis caro pro nobis pati debebat, anima enim, quæ in paſſione tua glorioſa erat, & diuina eſſentia fruebatur in ſuperiori eius parte erat paſſionis expers, & in inferiori tantum ex corporis patientis cõmunicatione pœnarũ erat particeps; corpus verò totum atroces luit pœnas; corporis verò pars, quæ ſic paſſa eſt, vt dicatur, à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas; caro fuit, non oſſa, vt legitur; nõ fregerunt eius crura, & os non comminuetis ex eo, ideò dicatur; Verbũ caro

caro factum eſt, quaſi plus æſtimes humanitatis tuæ partem illam, quæ pro nobis duriores ſuſtinuit pœnas, acriora tormenta: quis amor, quæ beneuolentia huic potuerit comparari, ò caro ſacroſancta, ò incomparabile pretium meæ redemptionis? Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallã Deo meo, quandiu fuero; De te dicitur Domine, corpus meum dedi percutientibus; & de anima tu dixiſti, Animam autem non poſſunt occidere; pleno igitur dicatur ore, Verbum caro factum, ò charitas, ò humilitas Saluatoris, verè profundæ factæ sũt cogitationes tuæ; infige cordi meo tui amoris opera, vt amem, vt amem.

CONSIDERATIO XIX.

CONſiderans internè ſe ipſum, & videns nihil agere boni, labentibus annis, & ad mortem feſtinans, Deum toto corde inuocauit, & dixit; Nemo Domine opus bonum operatur ſine te, imò nec voluntas ad bonũ mouetur, abſque tuæ gratiæ auxilio efficaci; inde clamo, compelle Do-

mine meam ad te rebellem voluntatẽ; tu omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine, de te dicitur, qui operatur in nobis velle, & perficere: nihil nos ſumus, niſi quod donaſti, in nobis ipſe ſeruaueris, non enim eſt currentis, & volentis, ſed miſerẽtis Dei, velle, & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio non erit meum; hinc dixiſti; Pater meus vſque modò operatur, & ego operor, ſemper largitor, ſemperque donator es, non ſufficit mihi, quod ſemel donaſti, niſi ſemper donaueris; ò Domine ſaluum me fac; ſalutem expeto ò Domine ſaluator meus; vias meas enũcio, vt exaudias me; tibi reuelo volũtatem meam, & hæc voluntas, vt agã bonum, à te dirigitur, ã te mouetur, determina eam, vt firma, & ſtabilis perſeueret, & iam incipiam à malo declinans facere bonum, & dicam; Hæc mutatio dexteræ excelſi. Amen.

CONSIDERATIO. XX.

VAcate, & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus; vt videat Domine anima ſuauitatem tuam, vacet, ne-

neceſſe eſt, à curis ſcilicèt ſæcularibus, quæ animum implicant, & cor obuoluunt, oculos excæcant, aures obturant, ne videant oculis, & auribus audiant; vacet, inquam, non torpente otio, & vita deſidioſa; ſed abiectis mundi curis, & ab eis ſoluto animo, vt liber ad Deum eleuatus, & quaſi illecebris, catenisq; confractis, Dei dulcedinem prægustet; & dicat; ò quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cœlo præſtito eſurientes reples bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes; tunc exclamabit, beatus vir, qui ſperat in eo, O me miſerum, & indignum peccatorem, quid mirum ſi Dei ineffabilē bonitatem, & pietatem non guſto; ſi non vaco, ſed ſæcularibus negotijs nedum inuolutus, ſed quaſi graui ſarcina preſſus, minimè eleuor ad diuina. Sed nec deſpero; tu enim Domine Deus omnia vides, nec te quicquam latet, & occultiores hominum cogitationes tibi patent euidenter; quod ego facio, mea eſt defenſio, ante te eſt omne deſiderium meum, ſtatum: in quo poſuiſti me, ſubſtinere nitor, & nihilomi.

minus ſi excedo, indulgentiam exoro peccatori: tu potes facere mundum de immundo, ſic ad te accedo, vt lauer, & ligatus ſoluar; inde dicã, ſuauis Domine es, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te. Amen.

CONSIDERATIO XXI.

DE torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quid eſt torrente voluptatis, niſi, vt dixit Apoſtolus, & torrẽte deliciarum tuarũ potabis eos; quid ſuauius, quid iucundius ſitienti, quã frigidæ aquæ potus, ita tamen, vt ſitim expleat, non tamen qui ex hac aqua biberit, effugiet ſatietatis onus, quis ergo intelligat beatitudinis magnitudinem, vbi beati, qui eſurierunt, & ſitierunt iuſtitiam, non torrente aquarum, ſed voluptatis, & deliciarum potabuntur, abſque ſatietatis grauedine, & nimirum quia fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, & apud te eſt fons vitæ, fons vitalis explens ſitim: Anima mea, quæ ſitis, & eſuris temporalia, quando oculos aperies, & videbis, quòd fruſtra in eis requiem quæ-

ris, & quò magis potas, eò magis ſities, & onere onuſtus grauaris, & ad ima pertraheris: ò dulcis Ieſu, ò bone Saluator immuta palatum cordis mei, vt nauſeet ſuper temporalium ciborũ leuitate, & te ſolum eſuriat verũ animæ cibum, & potum, verum Beatorũ ſcopum, in quem deſiderant proſpicere, & proſpicientes gloria replentur, & beatitudine. *Sic fiat Domine, ſupplex rogo, & exoro. Amen.*

CONSIDERATIO XXII.

NOnnè tu Domine es, qui ſalutem hominum expetens, & auidius ſitiens, vnde dicebas; cucurri in ſiti; clamabas; ſi quis ſitit, veniat ad me, & ſedens docebas turbas; quare ergo in morte tua, quando te interrogant, vt dicas, quis eſſes, & clarè te filium Dei aſſeras, tu nihilominùs taces, & dicitur; Ieſus verò tacebat? nõnè tunc maiores amoris tui demonſtras effectus, vt dicatur, cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos; quare ergo populo tuo non loqueris? An forſan charitatem tuam extinxit gentis illius ingratitudo? nequaquàm, quia

etſi pretium tuum cogitauerunt repellere; tu tamē in ſiti cucurriſti; & aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: non enim attendebas quod ab ipſis, ſed quia ab ipſis patiebaris; cur ergo taces? niſi quia videbas nihil verba tua profutura in morte genti illi, quibus reiterata toties in vita miraculis confirmata nihil profuerant; hinc dicebas; Laboraui clamans raucæ factę ſunt fauces meæ; ò ergo me miſerum, cui totiès loqueris miſericorditèr, toties inſpiras, & nihil proficio; nè taceas, nè taceas, neque compeſcaris Deus, nè vincant peccata mea miſericordiam tuam; tu enim es miſerator, & miſericors, & multæ miſericordiæ, & verax; reſpice ergo in me, & miſerere mei.

CONSIDERATIO XXIIII.

QVid eſt Domine; Venite, exultemus domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro; deindè dicitur: ploremus coram domino; eodem tempore ad fletum, & lætitiam nos inuitas, hilaritatem expetis, & amaritudinem, dùm te video oculis mentis, & cordis

in

in cruce pendẽtem, hilareſcat, & exultet anima mea, memor ſalutis, iuſtificationis, gratiæ, & gloriæ, quæ nobis morte tua dulcis Ieſu quæſiſti, quomodo non exultet; & gliſcat in hac die homo, ſi exul patriæ captiuus libertati reſtituitur; hinc exclamat Apoſtolus; Empti enim eſtis pretio magno; inde exultat Abraham, dum videt in ſpiritu diem tuũ, ò inexplicabilis miſericordia, ò intenſus amor, diem mortis vocas diem tuum, & in eo exultas, ſicùt gigas ad currendam viam, & exultare vis creaturas; ad fletum autem inuitat vis compaſſionis, quando video caput ſpinis confixum, faciem ſputis, & alapis afflictam, oculos ingratitudinem populi tui videntes, aures iniurias audientes, confixas manus, & pedes acutis clauis, latus lancea vulneratum, liuidum corpus, flagellis attritum, os amaritudine plenum, & dominum vitæ in agonià mortis pro me factum; quare non plangam, videns maximè cauſam tormentorum tuorum Domine fuiſſe peccata mea, quæ tam infrunitè commiſi; iuſtè ergo amor meus ad lacrymas, & fletum me inuitas, & & adhùc video animæ meæ aridita-
 tem,

tem, ſed tu Domine feciſti aridam in ſtagnum, & ſitientem in fontes aquarum, & eduxiſti aquam de petra, & deduxiſti tanquàm flumina aquas; nè ergo deſeras in ſua ſiccitate animam meam, ſed lacrymas educ ex ea, vt plangam die, ac nocte amaritudinem paſſionis tuæ, dolorum, & vulnerum tuorum, quæ tibi peccata mea magna inflixerunt; ſic lugens cõſolabor, flens gaudebo, & pro immenſo redemptionis beneficio grates rependam, & dicam ſemper: Confitebor tibi, quoniam factus es mihi in ſalutem. Amen.

CONSIDERATIO XXIV.

Recogitans letitiam magnam, qua Beatus Andreas Apoſtolus ad crucis patibulum acceſſit, & quaſi eã inuitans, hilaris cecinit; ò bona crux diù deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata; ſic intra ſe dicebat, Quid eſt hoc? nonnè mortis amara memoria eſt? nonnè eam extimuerũt Sancti Patres antiqui, Elias, & Dauid, vnus fortis, alter zelotes? quomodò tu ſancte Apoſtole, nedùm non times, ſed concupiſcis eam? niſi quia dulcis Ieſus

pro

pro omnibus guſtauit mortē, & quaſi deglutiuit; vt per te me recipiat, qui per te me redemit, dùm per te mors Domine tranſijt, dulcis effecta eſt, & vitalis; hinc aquæ illæ amaritudinis, quæ intrauerunt vſque ad animam tuam; quando veniſti in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit te, dulciores effectæ ſunt ex te; & dicitur; inundationes maris quaſi lac ſugent, quaſi famelici infantes lac nutricis; nonnè audis anima mea, imò nonnè vides Andreæ affectum, & quaſi ſitiens crucem anxius eam quærit, & lætior peruenit quaſi ad theſauros; ò omnipotentia Redemptoris, quare ego miſer quamlibet extimeſco tribulationem, & crucem, quam mihi Domine tribuis, non amo, niſi quia tu ſalus æterna longè es à peccatoribus: ſi autem propter bonitatem, & miſericordiam tuam accedes ad me, dulces erunt tribulationes, & amaritudines, ſi te mihi reddent. Tu cæpiſti, imò accepiſti tædere, pauere, & mæſtus eſſe; minus enim nobis contuleras, niſi noſtros ſuſcepiſſes affectus; nimirum ſi lætus accedit ſeruus tuus ad crucem; quando dolens acceſſit dominus; vnde

de dicitur: Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit, quod doleret, & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur; ſuſcepit enim triſtitiam meam, vt mihi ſuam lætitiam largiretur, & veſtigijs noſtris deſcendit vſq; ad mortis ruinam, vt nos ſuis veſtigijs reuocaret ad vitam: Inde audis; ò crux ſollicitè amata, diù deſiderata, anxios facis crucis amatores domine Ieſu, homines, quia tu Deus, & homo pro homine paſſus es in cruce, dulcis crux, quæ ex mẽbris tuis traxit dulcedinẽ, illa tibi amaritudines, tu illi communicaſti dulcedinem, & ſuauitatem: ò felix homo, qui crucem, & crucifixũ habebit ſemper in corde, felicia viſcera, quæ nihil aliud ſapient, niſi crucẽ; ò bona crux, quæ bonos homines facis memoria tua; in te enim Deus pependit, & homo: quis mihi det cum Apoſtolo Andræa crucem deſiderare, crucem amare, niſi tu Dominus Deus, & Saluator meus, & memorare domine, ſupplex exoro, quòd peccata mea pertuliſti in corpore tuo ſuper lignũ; hinc mori lucrum; hinc crux amabilis: infige hanc cordi meo, vt memoria

cru-

crucis præoccupatum temporalibus non tribuat locum. Sic fiat. Amen. Amen.

CONSIDERATIO XXV.

EXpurgate vetus fermẽtũ, vt ſitis noua conſperſio, exclamat Apoſtolus; quid eſt hoc domine, niſi quãuis ſitis, id enim dicit, vt ſitis, ſanguine domini noſtri Ieſu Chriſti in Sacramento pœnitentiæ loti, & conſperſi, iterum expurgate, nouiter purgate conſcientiam veſtrã, etenim Chriſtus noſtrum Paſca, immolatus eſt, & quotidie incruenter immolatur, & Deo offertur Patri in Euchariſtiæ Sacramento; tranſimus enim in eũ ex pœnitentia, & ſacramentis, vt in eo viuamus; ad ipſum Deum permanentẽ tranſimus, ne cum mundo tranſeunte tranſeamus: ne ceſſet igitur anima pœnitere; ne ceſſet flere, & ſi conſperſa ſanguine Chriſti appareat, quia non ceſſat Chriſtus ſe offerre pro peccatis omniũ Patri, totum præſentis vitæ tempus pœnitentiæ tribuitur; quare ergo miſer, qui tàm iniquè peccaui, tã inique egi, non ploro? non doleo? & quaſi

quaſi obſtupefactus pœnitere non recordor? & ſi quando me pœnitet, quã leuis, & ſine proportione ad grauia, & ponderoſa peccata mea eſt pœnitẽtia; quid ergo erit mihi, quando temporis ratio, & meorũ operũ requiretur à ſeuero Iudice? quid dicam? quid dicam? operibus repugnant tenebræ, dies autem ſuffragatur; ſi ergo non operor: in tenebris ambulo: effunde domine ſuper cordis mei tenebras lucem tuã; aduení domine, qui es lux, quæ illuminat omnẽ hominẽ: ſi enim ſequar te, non ero in tenebris, ſed habens lumen vitæ operari incipiam, & dicam, hæc mutatio deteræ excelſi: videns peccata mea deteſtabor illa; benè merui domine mortẽ, quia peccaui, ſed tu Dñe Pater, & Deus vitæ meę indulſiſti vitam, & pœnitentiæ locum; primis parentibus dixiſti, in quacunq; hora comederis, morte morieris, non tamẽ mortui ſunt, quia tu bonus Deus occaſionem confitendi, & pœnitendi tribuiſti, hic confiteor domine peccata mea, hic me pœnitet, & ſi non ſufficientèr pœnitet, ſuppleat bonitas, & miſericordia tua; ſupple tu, qui pro me crucis aſcendiſti patibulum; ſupple tu,

qui

qui cognoſcis infirmitatem meam. Amen.

CONSIDERATIO. XXVI.

APprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum: Nedum videam te Domine Deus meus quaſi bellator fortis in auxiliũ meum, armis potentiæ tuæ indutus, ſed continuè audiam vocem ſuauem, ſonet vox tua in auribus meis: quæ repetat; ſalus tua ego ſum; vox enim tua dulcis: & quæ maior dulcedo cor meum implere poteſt, quã meminiſſe, quod tu es ſaluator meus, & ſalus mea; tu dixiſti ſalus populi ego ſum, de quacũque tribulatione clamaverint ad me exaudiam eos, & ero illorũ Dominus in perpetuum; tu factus es mihi Domine in ſalutem, & vt ſaluares me, nullum pęnarũ, & tribulationũ genus ſubterfugiſti; & quare ego, qui iuſtè pro peccatis meis affligor, & premor, rebellis voluntati tuæ viuo inacquieſcens illi, & te reputans quaſi rigoroſum; nimia concupiſcentia, & amore pro-

proprio abſtrahor, & illicior, & anima mea ad temporalia attendens, quaſi ad plura diuiſa in ſe non acquieſcit, & non conſiſtens tecum non cupit vniri, extra ſe egreditur anima mea, illam enim fugat immunda conſcientia mea: ego ſum miſer, de quibus dicitur, ſegregant ſemetipſos animales, ſpiritum non habentes, inde profuga diaboli, mundi, & carnis vulneribus aperit locum, ſed tu domine ne repellas me: memor eſto, quòd ſicut lutum feceris me, Amplius laua me, & à peccato meo munda me; conuertatur tãdem anima mea intra me, & voluntati tuæ acquieſcat, quare confuſio non operuit me, qui hæc ſcribo, hæc conſidero, & dum intellectus à te recepit lumen, cor non accenditur, & non amat, inde tentationibus reſiſtere non valeo, & quotidie cado, in amando frigeſco, & te ſalutem, ſalutare, Saluatorem inuoco, credo, video, & adhuc offendo, ò vercundia, ò dolor: ecce ego confiteor peccata mea, quę me conſtituunt reum mortis, inualidus ad bonũ ego ſum, præbe mihi domine dexterã tuã, alleua me, ne oſtendas contra foliũ potentiam tuam, quod vento rapi-

tur, ne ſtipulam ſiccã perſequaris, ſed magnanimitate tua obliuiſcere peccatorum meorũ, & recordare creaturæ tuæ, ſonet ſemper illa vox in auribus meis, ſalus tua ego ſum. Tu dixiſti domine; propter miſeriam inopũ, & gemitum pauperum nũc exurgam: quid eſt exurgã, niſi quia tu æternum Verbum Patris quaſi in eius ſinu glorioſus ſedebas, & exurgis, vt populũ tuũ ſaluum facias: hinc Propheta quaſi memoriale porrigens dicit, tu exurgẽs miſereberis Syon, quia venit tempus miſerendi eius, hoc eſt ergo exurgere, carnem ſumere, & noſtris mederi languoribus, iacebat enim humanum genus à te expectans remedium; etiã domine audeo dicere, quòd dum carnem aſſumis factus homo, & de te dicitur: exinaniuit ſemetipſum: exurgis tamẽ, & Patrẽ, & in te Patre magnificas, qui ante non cognoſcebatur, per te in hominum notitiam venit, vnde & Verbũ Patris, & ſplendor diceris, quia per te, & voluntas Dei cognoſcitur, & diuinitatis eſſentia declaratur: vti Verbum loqueris, vti ſplendor illuminas, & vtroque modo manifeſtas patrem, & dum Patrem oſtendis, te demonſtras,

quia

quia tu in Patre, & Pater in te eſt: ò verè tempus miſerendi, quando ipſamet miſericordia excitante ſe ipſam, quòd es tu, qui eras quaſi dormiés dominus, nomen tibi dedit: accelera feſtina, prædare, exurge tibi dixit Dauid: quare obdormis domine? quaſi dormienti, qui diu ſubuenire diſtulerat: exurge tibi dicit anima mea: & cor meum, quare differs venire ad me, vt viſcera mea, quę te eſuriunt, ſaginentur, tu Sol iuſtitię veniſti ad me infinita miſericordia tua, impellente te, vt illuminaret me, qui in tenebris ſedeo: ſed ego miſer animæ meæ potentias, quaſi feneſtras clauſi, ſed veni iterum quia tempus miſerendi eſt, tecum veniat, vti cum Sole ſpiritus tuus; vētus vehemens gratiæ tuæ, qui feneſtras aperiat, vt ſol intret: tunc dicam, eruiſti animam meā ex inferno inferiori, & excitatus eſt dominus, non vt caſtiget, ſed vt miſereatur. Sic fiat. Amen.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO. XXVII

EXurge, quare obdormis domine? Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coràm Ephraim, Beniamin, & Manaſſe. Quid eſt domine; exurge, qui obdormis, manifeſtare, qui ſedes? Tu ſedebas Deus ante tempora etiam purioribus, & aſſiſtentibus illis ſpiritibus, qui ſublimitatem quidem, naturā ſcilicet diuinam videbant, ſed nō integrè, & quaſi ſedentis: hominibus autē quaſi in lecto dormiens nihil, aut ſatis modicum innoteſcebas, ſed manifeſtare domine, vt videant chorus Angelorū etiā inferiorem partem, humanitatem ſcilicet vti ſtantem integrū agnoſcant, & ſic manifeſtare, vt etiam homines agnoſcant te tanquam cæteros eiuſdem tribus, & familiæ: quod audiuimus, quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt: inde tu dicis, vt cognoſcatis, palpate, & videte, quia ego ipſe ſum, ipſe, qui de me dixi; Ego ſum, qui sū: ecce apparui, & ſic apparui, vt me videant homines, & tangant me, non amplius quaſi in lecto degēs,

in

in ſinu Patris, & in latibulis æternitatis, vix in figuris, breui temporis interuallo, & pauciſſimis innoteſco viris, & vera aſſumpta carne mundo appareo, & in terris viſus ſum, & cum hominibus conuerſatus ſum, ò ſumma bonitas, ò erga homines amor, & benignitas: hunc diẽ Incarnationis tuæ expetebant Patres, & ardentioribus lachrymis efflagitabant, laborabant à ſummo mane expectantes mercedem denariũ, vitam illam perennem, quàm tu dominus Ieſus illis eras cõparaturus, quid ergo dicemus nos miſeri, qui vltima hora vocati, & eadẽ mercede promiſſa, ſanguine tuo in Sacramẽtis recreati, & ſubleuati, & tamen hoc modico tẽpore in vinea laborare nos piget; vbi ſunt ſulci illi, quos Dauid in anima ſua reiterabat, vt emittente te ſemina verbi tui ſuper eã, vberiores redderet fructus; exercitabar, inquit, & ſcarriebam ſpiritum meũ; hinc lamẽtabaris amans, ſed minimè amatus dominus, & dicebas, ſupra dorsũ meum arauerunt peccatores, & nimis audacter prolongauerunt iniquitatẽ ſuam: quid dicã infelix ego homo, et peccator, quando tu hæc inſpiras, et excitatus,

tus, excitas me, et adhuc dormio? Ne derelinquas domine, & ne repellas me, memorare ſanguinis tui vberrimi fuſi pro me, & ne declines in ira à ſeruo tuo, vt dicam; adiutor, et protector factus eſt mihi Dominus in ſalutem.

CONSIDERATIO XXVIII.

DEſcendet ſicut pluuia in vellus. Placidum deſcenſum tuum Domine Ieſu, et inſenſibilem de Cœlo in terrā in his verbis video: perficitur nāque ſine vllo ſonitu, ac ſtrepitu, sūmo ſilentio, ac quiete, exinanitionem tuā Vnigenite Dei in Deiparam Virginem hìc conſidero, velluſque, eius ventrē iure voco, quandoquidē aduentum tuū, quod es Dei Verbum, ſilenter, et ſine ſono, quemadmodū vellus pluuiā excepit: nonne audis anima mea: dum mediū ſilentiū tenerent omnia, omnipotens ſermo tuus domine à regalibus ſedibus venit. Tu imber cœleſtis Virgineū in vellus placido te fudiſti illapſu, et diuinitatis vnda bibulo ſe noſtræ carnis cælauit in vellere, donec per patibulū crucis expreſſum in terris omnibus in pluuiā ſalutis effundere. Non ſo-

ſolũ autem dicã, ſicut pluuia in vellus, quia ſilenter aduenisti, ſed quia terrã illã, Mariam nãque Beatiſſimam sẽper Virginem te ipſo tanquam rore vberrimè perfudiſti: tunc venter illius cœlum efficitur, imò cœlo longè perfectius, quia te cœli cœlorũ capere non poſſunt, Maria autem ſuo te gremio contulit, ò fœlix deſcenſus Dei vt homo aſcenderet te deſcendente, et humanã aſſumente carnẽ orta fuit abundantia pacis, ſanguis enim tuus in cruce fuſus pacificauit, quæ in cœlis ſunt, et quæ in terris: ò Maria ſemper felix, sẽperque Beata, ex te enim beatitudinis fons exiuit, in te permanſit, et qui creauit te, requieuit in tabernaculo tuo: tu Luna perfecta in æternum, quæ à Sole iuſtitiæ lumen recipis, dum in tuis commoratur viſceribus; luce redundas, & gloria, ò Virgo intacta, ſed mater fœcunda; dignare me, nedum laudare te, ſed continue contemplari, lucidiſſimã te video, quia contines veram lucem, quæ lucis ſuæ radios diffusè tibi cõmunicat, & indeſinenter: ille venit illuminare eos, qui in tenebris ſedent, & dirigere creaturas in viam pacis; per te autem venit; inter-

tercede ergo pro me, vt videam lumē, nè amplius in tenebris ſedeam, ſed ſequar lumen.

CONSIDERATIO. XXLX.

CVm apparuerit Domine gloria tua, tunc omne animæ receptaculum largitas diuina replebit, poteſtate, & dignitate iraſcibilem, delicijs concupiſcibilem, ſapientia rationalē, vt ſit in ea poteſtas ſine contradictione, dignitas ſine comparatione, deliciæ ſine intermiſſione, ſapientia ſine limitatione; imperabitur, & nullus cōtradicet, honorabitur, & nullus inuidebit, deliciabitur ſine tædio, ſciet pro ſuæ voluntatis deſiderio, & tunc veraciter adimplebitur illud pſalmi; Valles abundabunt frumento; ibi enim valles, ideſt, omnes animæ vires, ſecūdùm omne capacitatis ſuæ receptaculum, abundabunt fruge deſideriorum, & exuberantium voluptatum; hinc Apoſtolus flagrans dicebat; cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto; vbi enim quis tecum eſt, vndequaque gloria perfundetur, ò felix anima, quæ hoc vehementer cupit, ardenter ſitit, & aſ-

ſiduè meditatur; ſiquidem deſiderium cordis eius tribuetur ei, & Deum profectò ſuſcipiet, & ſi adhùc peregrinetur in corpore, ex parte tamen ad tẽpus, & item pus modicũ, & æternæ gloriæ pignus recipiet; ſed quomodo, miſer peccatis obnolutus, & eorum põdere aggrauatus hæc ſublimia tractare audeo; repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, dicebat Paulus; quia bonum certamen certaui, curſum conſummaui, ego autem qui peccaui, qui iniquè egi, quid expecto, niſi pœnas. & æternam mortem: confido autem, quando recogito miſericordiam tuam, qua, vt ita dicam, impulſus carnem meam aſſumpſiſti, & in crucem eleuari, ibique pro peccatoribus mori dignatus es, & ſi ego peccare non obliuiſcor, tu non obliuiſceris miſereri, proprium tuum Domine parcere eſt, & facere miſericordiam, ſicut humanę naturæ proprij ſunt lapſus, & ad peccata reditus, ante oculos pietatis tuæ ſint peccata mea, vt ea diluas, pietate, & miſericordia tua forte reddatur cor meum, & in amando te validum, & ardens: hoc enim erit in hac vita gloria mea; deſiderium meum, & ſi te amem, quod es
om.

omne bonum, ſatiabitur anima mea, & viſcera mea dulcedine redundabũt. Amen.

CONSIDERATIO XXX.

IGnis ante ipſum præcedet, & inflãmabit in circuitu inimicos eius, quàm diuerſus Domine Ieſu hic ſecũdus aduentus tuus à primo deſcribitur; & nimirum, quia iſte fuit ad ſaluãdas gentes, non enim miſit Deus filiũ ſuum in mundum, vt iudicet mundũ, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, ille erit ad iudicandum, Pater enim omne iudicium dedit filio: & tu conſtitutus es iudex viuorum, & mortuorum inde primus aduentus in ſecreto noctis, quaſi imber ſuper herbam; & quaſi ſtillæ ſuper gramina: Angeli canunt Deo gloriam, & hominibus pacem annuntiant, & tu in præſepe collocaris, nudus naſceris, infantilibus pannis obuolueris, in medio duorum animaliũ iaces, verè humilis, verè pius, verè miſericors: In ſecundo autem aduentu in ſede venies maieſtatis tuę in die nota tibi Domino Deo, hominibus autẽ incognita, & ex improuiſo quaſi fur

in nocte aduenies, vt terreas magis, Angelicis Hierarchijs omnibus comitantibus, quia iudex aduenis, qui venisti Saluator; Quare autem tàm abſconditus erit dies ille? vt, dum certa futuri iudicij momenta neſcimus, sẽper tanquam in excubijs conſtituti: & in quadam virtutis ſpeculà collocati, peccandi conſuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat; ò me miſerum, qui ſic viuo, quaſi non eſſet iudex, in conſpectu meo non eſt iudicium, & inquinatæ ſunt viæ meæ in omni tempore, & tamen iuxta eſt dies Domini magnus, iuxta eſt, veloxque nimis: quare ergo mihi longius videtur abeſſe, niſi quia cæcus corde ſum: terrent me Domine valde verba, quæ ſeruus tuus loquutus eſt; ſicut impoſſibile eſt, vt qui eſurit, non recordetur panis, ita fieri nõ poteſt, vt qui ſaluari cupit, extremi iudicij obliuiſcatur, & ſi hoc dicebat iuſtus, quid dicam ego peccator? quomodo in illa hora terribili, ac formidãda inueniar? quomodo ego corã tribunali tunc tremendi iudicis aſtabo? quomodo ego elatus, & ſuperbus cũ iuſtis, atq; perfectis cõſiſtã? quomodo

ego

ego hædus cum ouibus à dextris Chri-ſti ſtatuar? aut quomodò ego arbor infructuoſa cum iuſtis, ac ſanctis illis; qui in hac vita iuſtitiæ fructum tulerunt, collocari potero? quis me tunc cognoſcet? Tu Domine dixiſti: Cognoſco oues meas; hædis autem, & reprobis dixiſti: Amen dico vobis neſcio vos; hìc oculos eleuans ad crucifixum, timore perterritus, & mẽte confuſa ceſſauit ſcribere, remanens obſtupefactus, & poſt puſillum mente, & corde verba Iob repetebat: Commiſſa mea paueſco, & ante te erubeſco; dũ veneris iudicare, noli me condemnare.

CONSIDERATIO XXXI.

RE cogitabam, & memoria reuoluebam (Domine tu ſcis) argumentum magnum habitationis tuæ in anima, ſi illi vileſcunt temporalia bona, quæ æſtimantur magis; hoc ſignũ potiſſimum eſt diuinæ charitatis, & amoris: inde raptus Iſaias dum contẽplaretur bona, quæ acquirit anima, ſi tu Domine inhabites in ea; exclamauit: Vtinam diſrumperes cœlos, & de-

ſcenderes, à facie tua montes defluerent, aquæ arderent igni, quaſi diceret; ſis tu Domine mecum, & cœli pereant, eorumque ceſſent influentiæ, & motus, quia hæc vita illi dono, quod tu es comparata nihil eſt; ſi deſtruantur montes, & valles, quæ frumento abũdant, & deſinant illi producere herbam ſeruituti hominum, dummodò ſis tu Deus nobiſcum, nihil obeſt; dummodò tu deſcendas, defluant montes; mihi ſitienti, in ignem aquæ vertantur, dummodò habeam te in corde meo, quia bibens ex hac aqua, non ſitiã iterùm, ò ignis diuini amoris, quàm fortis, & validus es, ò felix, & beatus, qui illo comburitur; & ſic accendetur, vt à terrenis ſuſpendatur, & erigatur ad cęleſtia, ò Auguſtine protector, & Aduocatus meus, tu accenſus, & quaſi vſtus exclamabas; Igne tuo bono accendimur, & ſurſum ferimur, inardeſcimus, & imus: quò imus Auguſtine? furſũ; quò ferimur, & ſubleuamur? amore, amore; & nimirum quia fortiter agit ignis, & materiam in naturam ſuam conuertit; & ſic trahit ſurſum; & Deus noſter quid eſt? niſi ignis conſumens, vnde accenſa corda amore ſui ad cęleſtia

ſtia trahit, & eleuat; ſed quare miſer hæc audeo tractare, qui frigidus maneo, & terrena concupiſco? confuſio faciei meę cooperiat me, quia dum tu Domine inſpiras, & vocas, quaſi ſurdus non audio, & non exaudio vocãtem, & nè ſpiritus tuus intret in cor meũ, aures obturo, & cor impleo tẽporalibus cogitationibus, & deſiderijs ne deſinas Domine vocare me, vt vocem tuam exaudiam, & amore tuo accendar, & vrar, quia ſi mecum eris, non timebo mala. Amen.

CONSIDERATIO XXXII.

AVferes ſpiritum eorum; Emitte ſpiritum tuum: qui ſunt Domine hi ſpiritus, quorum eijciendus eſt alter, vt alter ingrediatur, & viuificet, niſi ſpiritus, quorum eijciendus eſt alter, vt alter ingrediatur, & viuificet, niſi ſpiritus ille ſuperbiæ, quem in primi parentis cor inſufflauit diabolus, & ex ea, quaſi ex vitiata propagine in omnes homines deriuatur; & Spiritus ſanctus, qui Deus eſt, & requieſcit ſuper humilem corde: vnde tu præcep-

tor bone dulcis Ieſu dixiſti; Beati pauperes ſpiritu, non habentes ſcilicèt inflantem ſpiritum, non ex alio beati, niſi quia ſpiritu Dei replebuntur; ſpiritus enim huius mundi, ſuperbia namque contraria eſt ſpiritui diuino; inde humiles, qui vanitatis ſpiritum eiecerunt, ſpiritu Dei aguntur: ò verè beata ſemper Virgo Maria, quæ humilitate tua dignum Spiritus ſancti habitaculum fieri meruiſti; inde dicis Beatã me dicent omnes generationes; infecta radix illa in primo parente vitiata te non inquinauit, quia tu es radix illa, ex qua exijt flos, qui dixit; Ego flos campi, & lilium conuallium; ſemper enim in manu Dei, ex qua erat gignẽdus Deus, ſemper humilis, ſemper fuit beata, prout decebat eam, quę in ſinu ſuo Dominum erat habitura: Ego autem miſer, quare ſuperbio puluis, & cinis? quomodo non eiecto ſuperbiæ ſpiritu, ſanctum Spiritum recipere audeam? hìc proſtratus Domine ante te ſuppliciter exoro, vt auferas à me ſpiritum extollentiæ, infige cordi meo, quia puluis ſum, repleatur caput meũ cineris memoria, vt eijciatur ex eo ſuperbiæ ſpiritus, & humilitate plenum aper-

aperto ore inhiet ſpiritum tuum, ſi vis Domine, potes, vetus plaga eſt iſta in me dica, & crudelis ſuperbiæ concu-piſcentia inflixit, non alia manus, quã tua dulcis Ieſu ſanare eam poterit me-moria humilitatis tuæ, qua temetipsũ humiliaſti, vt ſuperbiæ meæ vulnera ſanares, huius exinanitionis memoriã accende, & abiectionis meæ memor ſuperbiam abijciam, & ſpiritu humili repleat, & te habere merear in corde meo. Sic fiat. Amen.

CONSIDERATIO XXXIII.

QVare turbaris Maria, dum ab Ar-cangelo ſalutaris, & gratia ple-na diceris, Mater Dei annun-tiaris? quid times in aduentu cæleſtis Spiritus, Angeli, Omnipotentis? ille ſeruus, tu domina, quia Mater Dei, & Domini; aſſiſtunt illi ante thronum, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius; qui facit An-gelos ſpiritus; tu autem Mater es, & Dominum ſuſcipis: vnde ergo turba-tio? vnde timor? Niſi ex humilitate tua; verè enim humilis, dum laudum ſuarum audit præconia, turbatur, &

timet; tu in humilitate excellens, quia illum in ſinu ſuſceptura eras, qui de ſe ipſo dicit, videte, quia mitis ſum, & humilis corde, ad humilitatem cor meũ tendit; vnde audis; exinaniuit ſemetipſum; tu verè humilis, quæ ad maximam exaltata dignitatem remanes humilis, & laudes tuas, quas cœleſtis ſpiritus intonat, tremens audis, & pauida; non enim magnum eſt eſſe humilem in abiectione, vera eſt virtus humilitas honorata; inde felix, & inde beata, quia humilis es, non quia in vtero Verbum caro factum eſt, audeo dicere, quod ſine humilitate neque Virginitas tua Deo placuiſſet: ô vera humilitas, quæ ex charitate naſcebatur, quæ voluntatem inflammabat, nõ enim humiliaris excogitatione defectuũ, quia tu tota pulcra es, & macula non eſt in te; ſed voluntatis filia humilitas eſt iſta, quæ igne charitatis ardebat; venter tuus eſt nubes illa, quam ignis inuoluit, de cuius medio exibat electrũ, quod eſt Chriſtus Dominus, Deus ante ſæcula, homo in tempore: aurum optimum caput eius, quod eſt diuinitas, argentũ igne examinatum; quod eſt humanitas; ſi ergo Deus eſt

in

in vtero tuo, quod eſt ignis, & charitas; quid mirũ, ſi charitate ferues, & humilitate excellis; ſed ego miſer peccatis inuolutus, & defectibus circumdatus, & adhuc ſuperbio; quæ maior inſania, & phrenesis excogitari poteſt? quid faciam, ad te feſtino ſanandus, quæ verè humilis peccatorem non abhorres; intercede pro me in tempore iſto, in quo recolitur memoria Incarnationis filij tui, qui ſemetipſum humiliauit, vt nos exaltaret: verè tempus opportunum ad miſerationes, & miſericordias. Amen.

CONSIDERATIO. XXXIV.

IN Deo ſperaui, non timebo, quid faciat mihi caro; quis enim abſque particulari tuæ gratiæ auxilio reſiſtet carni, quæ ſemper eſt nobiſcum; colluctatio noſtra eſt aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus; horum autem principium milites, quibus nos præcipuè impugnant, & bellum indicunt, paſſiones ſunt, & affectus carnis noſtræ; inde dicitur: Obſecro vos abſtine-

ſtinere à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam; quid eſt Domine, ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem, ideſt, captiuare conantem in ſeruitutem peccati, niſi quia princeps huius mundi tenebrarum harum hominem captiuare intendit, & ſibi ſubditum facere, idque procurat per deſideria carnis, per ipſius concupiſcentiam, & motus, illis vtens tanquàm militibus ad hanc captiuitatem aſſequendam; O carnis vires, quis eas recenſeat, tàm fortis aduerſarius, quàm vicinus, imò eadem hominis pars, & robuſtior, quia natu maior; nàm non priùs, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale; à ſenſu ortum habet noſtra cognitio, & ſi ſenſus decipiunt, quæ erit pugnæ difficultas ad ſuperandas ſenſuum noſtrorum deceptiones, ò vetus lucta carnis concupiſcentis aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem; veteranum ergo agmen militum concupiſcentiæ carnis ſunt; hinc dicitur, poſt concupiſcentias tuas non eas, ſi enim præſtes animæ tuæ concupiſcentias eiùs, faciet te in gaudium inimicis tuis; concupiſcentiæ ergo milites diaboli

boli ſunt, quæ ſunt intrà nos non ad auxilium, ſed ad ruinam, tu Domine ſi eris nobiſcũ, conteres in brachio tuo fortitudinem iſtã; fortis eſt caro, quando autem obtemperat ſpiritui, imbecillis, quia ſibi repugnantia operatur: ò lucta, ò bellum, quod intrà nos eſt; in te oportet ſperare, & effundere coram te corda noſtra, quia tu adiutor noſter es in æternũ, & tùnc dicemus: In Deo ſperaui, non timebimus, quid faciat nobis caro. Amen.

CONSIDERATIO XXXV.

ADeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur in auxilio opportuno. Quis eſt iſte thronus gratiæ, niſi tu Virgo Maria Dei Mater, quia ipſe dominus Ieſus exijt ab vtero tuo tanquàm ſponſus de thalamo ſuo; de filio tuo dicitur; Homines, & iumenta ſaluabis domine; ità & tu mater iuſtis pariter, & iniuſtis patrocinare. Admirantur Angeli, comparantes te auroræ, Lunæ, & Soli, vt magnam tuam erga omnes nos miſericordiam prædicarent; Luna namque lucet in nocte, aurora

in-

in diluculo, Sol in die: nox autem, eſt culpa; diluculum pœnitentia; dies, gratia; qui ergo iacet in nocte culpæ, reſpiciat Lunam, deprecetur Mariam; qui ad diluculũ pœnitentiæ ſurgit, reſpiciat Auroram, deprecetur Mariam; qui cõmoratur in die gratiæ, Mariam, quæ eſt Sol, humilitèr amplexetur, nè tentetur, & cadat, fiducialitèr dicat anima mea (benigniſſimę enim Parenti loquitur) Matri viuentium Deiparæ Virgini, quæ Dei Mater effecta eſt, qui pro omnibus in cruce pependit, & ſanguinem fudit copiosè; verè apud Deũ miſericordia, & copioſa redemptio; illicò omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſa charitate debitricem ſe fecit, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi; captiuus redemptionem; æger curationem; triſtis conſolationem; peccator veniam; iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam; filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius: ò verè gratiæ Thronus, & gloriæ Mater eius, qui thronum ſuum poſuit, ſicùt Solem, gratias conferens creaturis in ple-

plenitudine abſque retributione; ipſe enim dixit; ſi eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius; ſic tu Mater, quæ humana in filio communicas naturam, vberes, ſicùt Sol, gratias nobis debes, quis deſperet; & ſi peccator ſit, ſi tu es mater eius, qui peccatores venit vocare, ſi tu es Regina ſpirituum illorum, quibus gaudium in cœlo eſt ſuper vno peccatore pœnitentiam agente; verè ego miſer, & peccator vilis ad te feſtino, vt ſaner, impetra, melius dicam, impera, quia tu ad filium recurris, non vt ancilla, ſed vt domina, non vt impetres, ſed vt imperes, ſalutem infirmo, conſolationem afflicto, indulgentiam peccatori. Amen.

CONSIDERATIO XXXVI.

SPiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; Spiritus ſanctus nempè, qui à Patre, Filioque procedit, cuius propria bonitas eſt, deducat me, doceat me omnia, quęcumque ad ſalutem ſunt neceſſaria, humana enim cõſilia ſalutem expedire mihi, nullatenùs poſſunt, & docens manum præbeat,

quod

quod eſt auxiliantis, vt ſciens, quæ neceſſaria ſunt, fortitèr exequar; & iter ſalutis arripiam; ſed quid faciã domine, ſi ſancti Spiritus acceſſus, & receſſus ſecretiſſimi ſunt, & periculoſiſſimi ignorantur; redit namque dignanter, vt conſolentur, vnde dignè pro ſua maieſtate non ſuſcipitur, ſi nec adeſſe ſentitur; recedit, vt auidius requiratur; quonam ergo modo requiritur, ſi abeſſe neſcitur; vnde mens, quæ ignorat abſceſſum, paret ſeductioni, & quæ reditum non obſeruat, erit ingrata viſitationi. Inſtrue me domine interno diuino affatu; quo voluntatem tuam cognoſcam, hoc auidius peto, hoc ſupplex rogo; Dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum; Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, doce me facere voluntatem tuam indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie: intona domine deſuper voce grandi, & forti in interiorem aurem cordis mei, vt à ſomno exciter, & ad exequenda mandata tua vigilare incipiam; benignius miſerere domine Deus, in ſaluatione mea mirifica apparebit miſericordia tua; & longanimis cognoſceris; ſi tuam perſonam

con-

Digitized by Google

conſideres; te conuenit exaudire, quia Deus ſalutis es, in me petente nihil inuenies, quia maximus peccator ſum, & quotidie pecco; vnde ſi me exaudies, miſericors eris, & miſerator: veni domine, veni in ſpiritu vehementi, vt audiaris; & aperiantur portæ animę meæ; ſi enim intellectus cognoſcet aduentum tuũ, accendetur voluntas, & feruore replebitur, & cor amore exæſtuabit, & te amante Deo plenum ardenter amabit; tùnc ſequetur te præcedentem, comitantem, & ſequentem in vijs, & ſemitis mandatorum tuorum. Amen.

CONSIDERATIO XXXVII.

PLuuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ. Quæ eſt iſta pluuia domine Deus meus? quam hæreditati tuę, hoc eſt animabus illis, quibus hęreditas æterna promiſſa eſt, vberiùs infundis, & copioſiùs ſtillas; pluuia grata eſt, & ſuauis, non aquarum, ſed liberalitatum, vel voluntatum; vt enim anima, quæ mater tua miſtica eſt, te concipiat, & affectuum, & deſideriorum flammantiũ pluuia madefacis

cis eas; inde in ea formatur Chriſtus, & accenſa corde in eo, quaſi molli cera liquefacta imprimitur ad eius iuſtificationem; ò felix anima, quæ ad huiuſmodi pluuiã recipiendam præparaparatur, vt te deſideret, ad te ſuſpiret, & torrente deliciarum tuarum repleatur, amore tuo redundet, & affectuoſis deſiderijs, quaſi aquis irrigata afferat fructus, vt tu Domine naſcaris in ea: timentibus enim te, filiali timore, & charitatis ſuperpleno naſceris tu Sol iuſtitiæ, iuſtificans eos, qui te credendo, obediendoque admittunt. Hoc eſt tempus opportunum, quia his diebus naſceris in vtero Virginis, quaſi pluuia in vellus, & qui ex mente fœcunda Patris naſcebaris æternus Deus de Deo, in tempore natus es homo de Virgine; vtrãque natiuitatem tibi Ieſu Chriſte commemoro, vt qui libentèr æternus Deus in tempore naſci dignatus es, vt perditum hominem ad cœleſtia regna reuocares, & ſalutem præberes, non dedigneris concipi, & naſci in mente, & corde peccatoris; parce domine, ſi audeo nimis; veni domine, veni; ecce cor meum, & anima mea ſuſpirant, & expectant te; tu deſide-

ſideria excitas, tu cor inflammas, tu ad me veni, vt flagrantia deſideria à te excitata, te, quaſi rore, repleantur. Sic fiat.

CONSIDERATIO XXXVIII.

DEſiderium peccatorũ peribit: illi nàmque peccatores, qui dicebant; venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs, & dentibus fremebant occidendi deſiderio; vnde gladio linguæ occidunt, quando erumpunt in voces, Crucifige, crucifige, tabeſcunt inuidiæ liuore, & vndique torquentur; donec volente te, Domine, malitià perfecerunt, & te cruci affixerunt; ſed numquid nomen tuum deletum eſt? nequaquàm; quia exaltauit te Deus, & dedit tibi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; hoc nomen omne, quod in cęlo, quod in inferno eſt; tremens genuflexu, ſummiſſo vertice confitetur; in memoria æterna eris, & perpetuo homines, & Angeli pſallent, & diem feſtum agent tibi; hilaris fidelium cœtus in hac nocte canit tibi, & in recorda-

Digitized by Google

datione natiuitatis tuæ lætitia perfunditur, & gaudio repletur, nomen tuū exaltat, & in eo exultat in tympano, & choro, in chordis, & organo laudat te, & proſtrati corde, & corpore glorificant te; vnde gaudent? vnde gaudent? vnde exultant? vnde glorificāt? niſi quia tu pro nobis opprobrium factus es hominum, & abiectio plebis: tibi dixit cor meū exquiſiuit te facies mea, ô felix anima, quia ſic te quærit, vt inueniat; hac nocte apparuiſti Domine, quod exoptabat Dauid; oſtende nobis domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis; apparuiſti Dei miſericordia, qui ſéper eras, quia apud Dominum miſericordia; apparuiſti amor, qui eras ſemper cum Patre, & Spiritu ſancto, quia Deus charitas eſt, appares, vt inueniaris; inde Angeli aduentum tuum in carne paſtoribus annunciant, & te exquirunt: erant autem illi vigilantes; vnde facilè ad primas Angelorum voces ſurgunt, & Saluatorem inquirunt, ego autem oppreſſus ſomno, poſt multiplices miſericordiæ tuæ voces adhùc dormio, & te non inquiro; exalta Domine vocem, & mihi te non inquirenti appare
cle-

clementer; tu qui præſepe non horruiſti, ne horreas cordis mei habitaculũ, veni domine, vt dicam; Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

CONSIDERATIO XXXIX.

ET tu domine Ieſu Chriſte Rex gloriæ glorioſus ab inſtanti conceptionis, ſemperque beatus; adhuc tamen dicis, & primam vocem ſimiliter omnibus emiſiſti plorans, & nimirum, quoniam ab infantia creuit tecum miſeratio, & de vtero matris tuæ egreſſa eſt tecum; ò miſericordiæ pelagus inexhauſtum, ò pietatis abyſſus impenetrabilis; præmaturè Domine tecum fuit rationis vſus, ſed miſericordiam non præuenit, nec pietate præcucurrit; ſtatim enim cum naſceris, & corpus vides, illud Patri obtuliſti pro mũdi redemptione ingrediens mundum, dixiſti; ſacrificium, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi; quis intelliget miſericordias tuas, verè Dei benignitas, verè amor; nonnè tu es ille, de quo dicitur, ſpecioſus formæ præ filijs hominum? & tamen de pulchritudine nil loqueris, & ſolùm Patri pro

apti-

aptitudine corporis ad patiendum pro homine gratias agis; videbas tunc caput ſpinis confixum, manus, & pedes clauis confixum; latus lancea vulneratum, totũque corpus Virginis percuſſum, & lacerum, & aptum dicis, quia eo me redimis; ergo ſi fuiſſet impoſſibile, ineptum æſtimares; vagitu tuo laborioſæ vitæ teſtaris exordia; veniſti enim, vt peccatores ſaluos faceres, & nihil, quod ad hominum ſalutem non confert, æſtimas, & quaſi paruifacis, ab ipſis infantię primordijs, quaſi crucis affixionem pręueniens, luges, & lacrymas pro peccatis noſtris offers Patri ad impetrandã indulgentiam; ò felix anima, quæ lacrymas iſtas colligit, & in corde habet repoſitas, vt eas die, noctęque meditetur, felix, qui luget ſuper peccatis proprijs, quando tu Domine lacrymatus es pro alienis; heù me miſerum, qui ſitio, & ad aquas non accedo, occaſionibus huius mundi, quaſi laqueis teneor, & exardeſcit contrà me ſitis; veni Domine, veni, ſolue vincula, quia tuus ſum, ſaluum me fac, aqua tuæ gratiæ ſatia me.

CON-

CONSIDERATIO XL.

RVbus, qui ardet, & non comburitur, Mariam, quæ mater fœcunda eſt, & intacta Virgo, figuralitèr exprimit; dùm in Rubo Domine deſcendis, ſic dicis; Deſcendi, vt liberem populum meum de manibus Ægyptiorũ; quando autem venis in vterum Virginis, dicitur: Inclinauit cœlos, & deſcẽdit; verſaſti namque cœlos, & inuertiſti, vt dùm te humilias, & de cœlo deſcendis, vt carnem aſſumas in vtero Virginis, quicquid boni erat in cœlo, deflueret, & daretur nobis, neque mirum, quia dùm tradis te ipſum; nonnè tecum omnia nobis donas? liberas autem hominem nõ de manibus Ægyptiorum, ſed de poteſtate tenebrarum, non populum Hebræorum, ſed humanum genus vniuerſum; tùnc adimpletur; In cõueniendo populos in vnum, & Reges, vt ſeruiant Domino; Maria autem reclinat te in præſepio, quaſi iterùm inclinans te humiliaueras Domine temetipſum de cœlo ad ima deſcendens, & carnem noſtram induis, naſcens homo, illa autem in præſepio

po-

Digitized by Google

ponit te in medio duorum animalium, vt qui aſcendere non poteras vlteriùs Deus, & Dominus, inferius non poſſes deſcendere factus homo; humilias te dulcis Ieſu, dùm naſceris, iterùm humiliat te humilitatis mater, vt altiùs eleuetur homo, humilis filius matrem docet humilitatem, vt humilitatem doceamur; diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, exclamat filius; reſpexit Deus humilitatem meam, canit mater: & adhùc ſuperbimus homines: deſcendiſti Domine, & humiliaſti te, amoris pondere tractus, vt dùm aſcendis, hominem eleuares, & adhùc frigidus homo remanet, & in terra conglutinatus: præſepe recepit te, quia humilitatis locus eſt, quomodò recipiet te cor meum ſuperbia plenum, redde Domine cor meum humile, introduc in eo lumen tuum, videam numerum, & pondus peccatorum meorum, ſicque humilier, & tibi diſponam locum. Amen.

CON-

CONSIDERATIO XLI.

REcogitabã, *Domine*, tuarũ abyſſum miſericordiarum erga homines, & recordabar verborum Dauid: Qui replet in bonis deſideriũ tuũ, Non enim adimples, ſi quæ ſint deſideria mala, ſed tantùm in bonis; maximum bonum ſalus, & vita eſt, & tu Domine, ad quid veniſti, niſi vt vitam habeant, & abundantiùs habeant, & vt viuant in æternum, corpus in eſcã, & ſanguinem tuum das in potum; qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum: morte tua vitam, quã amiſeramus, redemiſti, maximum bonũ, & deſiderabile honor eſt, & tu docuiſti ea, quæ ad ſupremum honorem aſſequendum nos conducunt, dum dicis, ſi quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus; qui eſt in cœlis, quo honore, niſi, vt ſit tecum; qui es filius Dei; æqualis ei, à quo miſſus es, neque vltrà datur, quod maius ſit; qui enim tecum eſt, cum Patre eſt, quia tu, & Pater eſtis vnum; ſi tu ergo adimples noſtra deſideria, vt bonis affluamus, quid eſt, quod adhuc eſurimus,

mus, & ſitimus, niſi quia temporalibus inuoluimur deſiderijs, & huiuſmodi affectamus bona, quæ talia non ſunt; vita namque ab anima procedit, non à corpore, & quæ corpori congruunt, animæ repugnant; quomodo ergo viuet homo, ſi tantùm corporales ſequitur delitias, quæ ad mortem ducunt: deſumus ergo gratiæ tuæ, quę vocat nos, & nos ipſi impedimento ſumus, quo minùs noſtra repleantur deſideria; ſed recordare Domine, quia caro ſumus, quæ ſpiritum conculcat, & opprimit: hoc eſt, conculcauit me homo, voluntas illa inferior, ſed in nobis fortior; tota die impugnans cōculcat nos; vnde Domine clamamus vehementer; Miſerere nobis Domine, miſerere nobis,

CONSIDERATIO XLII.

O Felix anima, quæ præ amoris magnitudine, omni exuta timore, confidenter ait: Oſculetur me oſculo oris ſui, & ne de audacia redarguatur, ſic ſubnectit; accepi, fateor, meritis potiora, ſed prorſus inferiora votis; deſiderio feror, non ratione: ne

quæ-

quæſo cauſemini præſumptionem, vbi affectus vrget: pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor; nec ignoro, quod honor Regis iudicium diligit; ſed præceps amor, nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubijcitur; rogo, ſupplico, flagito, oſculetur me oſculo oris ſui; quia tu Domine dulcis Ieſu: qui libēs de te loquentibus appropriare ſoles, & diſcipulis euntibus in Emmaus de te inter ſe conferentibus iucundus, & fæcundus factus es comes; vnde dicitur: Antequam clament, ego exaudiam, adhuc loquentibus illis dicam; ecce adſum; etiam ſolis cogitationibus aduocaris; vnde qui inuentus eſt homo ſecundum cor tuum, dixit: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua; dum te das præſentem, quantum tibi in ſponſa complaceas, ſtatim aſſeuerans dicis: meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis; ingentiū enim donorum copia, quæ ex tua exoriūtur præſentia, exornas eam, ſpiritualium chariſmatum vnctione adimples illam; & ex his, quæ ex te veniunt vir-

mus, & ſitimus, niſi quia temporalibus inuoluimur deſiderijs, & huiuſmodi affectamus bona, quæ talia non ſunt; vita namque ab anima procedit, non à corpore, & quæ corpori congruunt, animæ repugnant; quomodo ergo viuet homo, ſi tantùm corporales ſequitur delitias, quæ ad mortem ducunt: deſumus ergo gratiæ tuæ, quę vocat nos, & nos ipſi impedimento ſumus, quo minùs noſtra repleantur deſideria; ſed recordare Domine, quia caro ſumus, quæ ſpiritum conculcat, & opprimit: hoc eſt, conculcauit me homo, voluntas illa inferior, ſed in nobis fortior; tota die impugnans côculcat nos; vnde Domine clamamus vehementer; Miſerere nobis Domine, miſerere nobis;

CONSIDERATIO XLII.

O Felix anima, quæ præ amoris magnitudine, omni exuta timore, confidenter ait: Oſculetur me oſculo oris ſui, & ne de audacia redarguatur, ſic ſubnectit; accepi, fateor, meritis potiora, ſed prorſus inferiora votis; deſiderio feror, non ratione: ne

quæ-

quæſo cauſemini præſumptionem, vbi affectus vrget: pudor ſanè reclamat, ſed ſuperat amor; nec ignoro, quod honor Regis iudicium diligit; ſed præceps amor, nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubijcitur; rogo, ſupplico, flagito, oſculetur me oſculo oris ſui; quia tu Domine dulcis Ieſu: qui libēs de te loquentibus appropriare ſoles, & diſcipulis euntibus in Emmaus de re inter ſe conferentibus iucundus, & fæcundus factus es comes; vnde dicitur: Antequam clament, ego exaudiam, adhuc loquentibus illis dicam; ecce adſum; etiam ſolis cogitationibus aduocaris; vnde qui inuentus eſt homo ſecundum cor tuum, dixit: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua; dum te das præſentem, quantum tibi in ſponſa complaceas, ſtatim aſſeuerans dicis: meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis; ingentiū enim donorum copia, quæ ex tua exoriūtur præſentia, exornas eam, ſpiritualium chariſmatum vnctione adimples illam; & ex his, quæ ex te veniunt virtu-

tutes, eam laudas, vnde illa, ne ſibi vnguentorum ſuaueolentiam arrogaret, in te referens, illicò ſubdit; vnguentũ effuſum nomen tuum; in caput tuũ, quod es tu Domine, vnctionis oleum, quod acceperat, reducens; ò beata anima, quæ ſic de te recogitat, ſic de te loquitur, tantùm te deſiderat, & amat, vt beata præſentia tua frui mereatur; ò anima mea arida, quæ temporalia cupit, ad temporalia inhiat, pro temporalibus laborat, ſemper frigida affectu, & amore carens, neque hæc ſpiritualia intelligit, nec pro illis ſuſpirat, & nihilominus verè amans Dominus meus Ieſus Chriſtus, imò verè amor mihi miſerrimo peccatori hæc inſpiras, eaque cogitare ſinis, ad ea me ſublcuas, neque frigidum reijcis, & exterres, flexis genibus tibi gratias ago, ſupplex exoro te, vt immutes me, & cor meum ad amandum, & concupiſcendum te, erigas. Sic fiat. Amen.

CONSIDERATIO. XLIII.

Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos, quia lætata ſum in ſalutari tuo; ſperaui, inquit, in ſalutari

tari tuo; inde mihi omnia prouenerũt bona, victoriam reportare de inimicis meis facile mihi fuit, hac ſpe munitus, & confirmatus; hoc autem ſalutare quid eſt, niſi Dominus Ieſus; ſatis expectatum ab exordio mundi; vnde dicitur, ſalutare tuum Domine expectabo; lætitiam appellat Dauid: Redde mihi lætitiam ſalutaris tui; viderũt omnes fines terræ ſalutare Dei; Et quid mirum, ſi legitur; Vocabis nobis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorũ: ſalutare ergo Chriſtus eſt ipſe Ieſus, quem Simeon, ſicut in Euangelio legitur, ſenex amplectens puerum, agnoſcens magnum: Nunc dimittis, inquit, ſeruum tuũ Domine ſecundùm verbũ tuũ in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ; Ieſus noſtro eloquio ſalutare dicitur; ab hac enim radice omnium bonorũ pullulant fructus, & mala fugantur: quàm pulchri ergo ſuper montes pedes euangelizantium bona, vel potiùs Ieſum; nec mireris, multa enim bona Ieſus eſt; vita bonũ eſt, Ieſus eſt vita; reſurrectio bonum eſt, Ieſus eſt reſurrectio: lux mundi bonum eſt, Ieſus lux vera eſt: veritas de-

nique, via, ſapientia, potentia, bonorũ omniũ theſaurus Ieſus eſt; pulchri pedes annũtiantis pacem, annuntiantis ſalutem: annuntiantis Ieſum, quod eſt pax, & ſalus, & interna pax, ipſe..., naſcentę tuba canit Angelica: ipſe ſaluũ faciet populũ ſuũ à peccatis eorũ, loquitur in circumciſione Angelus: ò ſacrum nomen, ò piũ, ò glorificandũ: verè theſaurus omniũ deſiderabilium, requieſcat in corde meo, & à meditatione mea nunquàm diſcedat: verè cognoſco Domine, quòd ſim obliuioſus, ſalus mea, tibi dedit nomẽ, & adhuc ſalutis, & Saluatoris immemor viuo; non ſic Domine, non ſic: ſed pone te, vt ſignaculum ſuper cor meũ, imprimatur dulci ſono nomen tuum viſceribus meis, nomen tuũ oleum effuſum ſit in præcordijs meis, redoleant cor meum, viſcera, & præcordia mea fragranti odore nominis tui; nomini tuo pſallam ſemper, quoniam ſuaue eſt; Ieſus ſemper ſit in corde, & in ore meo; repetam ſemper, Ieſus meus Saluator, & ſalutare meum.

Deo gratias, & B. Mariæ ſemper Virgini, & Angelo meo Cuſtodi.

LI-

LIBER TERTIVS.

Conſideratio Prima.

CAntate Domino canticũ nouũ, quia mirabilia fecit; non vetus canticũ, tanquã de beneficio conſueto, atque communi, ſed tanquàm de ſingulari, atque præcipuo nouũ, & non aliàs auditum canite, nouũ, atque mirabile eſt, vt dies numerentur ei; qui eſt ante ſæcula æternus, temporũ conditor tempori ſubijcitur, fundit ſãguinem Deus, quis non obſtupeſcet? pro ſalute hominis funditur, quis non laudet? & grates referat? Deus exercitũ Ieſus dicitur, quod eſt Saluator,

ò ineffabile nomen, quis te laudet? educ Domine de cuſtodia animam meam ad confitendũ nomini tuo; ſolue me de ergaſtulo carnis huius, deduc me ad gloriam tuã, vt laudé te, & nomini tuo pſalmũ dicam: verè deſideras pati pro me, charitas tua vrget te, & circumciſionis legem adimples, vt ſanguinem fundas; quid tibi Domine cum legibus peccatorũ? verè ſanctus, quia Saluator nunquàm deſeris officiũ Saluatoris, quis mihi det ſanguinem hunc in corde meo ſemper ſeruare, vt non peccem tibi? video in ſanguine iſto tuæ paſſionis inſignia, video ardétiſſimę fructus charitatis, ſtatim natus noſtris compateris ęrumnis; & voluntate præuenis paſſionem, verè factus eſt principatus ſuper humerũ tuũ infans enim pro eis obnoxius eſſe vis, & pœnas luere; ſed, ò me miſerũ, ſi tu innocens mundum intras ſtatim, non tua, ſed aliena plangis peccata; quare ergo poſt tot annos propria non deploro? quare pœnitentiam differo? pręproperus nimis es ad ſalutem meam, ac nimirũ, quia feruidus, quia amans, ſerus ego, ac lentus, quia frigidus, quia non amo; excita Domine in me amo-

rem, quia ſi te amem, timeam, ne te offendam; præceptũ tuũ ſit ante oculos meos, quod eſt vnum in radice amoris, & dilectionis, tunc videam, quia lucidum, quia illuminans oculos. Sic fiat! Amen.

CONSIDERATIO II.

SIc Deus dilexit mundum, vt filiũ ſuum vnigenitum daret; beneficium longè maximum, quo Chriſtus Dominus non ſolùm ſua, ſed etiam ſe ipſum tradidit, vt nos redimeret, & mundaret ſibi populum acceptabilẽ: tu Domine feciſti, vel potiùs factus es, vt amareris, te dediſti in meritum, te ſeruas in præmium, te appoſuiſti in refectione animarum ſanctarum, te in redemptione diſtrahis captiuatum; ò amor, ò bonitas, neque ſegnis, & inuitus, ſed promptus, & velox, vt tuæ te traderes ſponſæ, feſtinaſti; verè nomen tuum accelera, feſtina, ecce iſte venit, (dicitur de te) ſaliens in montibus, tranſiliens colles; tranſiliſti enim Gabrielem, & perueniſti ad Virginem, eodem Arcangelo teſtante; Aue gratia plena, Dominus tecum, Quid? quem

modo reliquiſti in cœlo, nunc in vtero reperis; quonàm modo? volauit, & præuolauit ſuper pennas vẽtorum; victus es ò Archangele, tranſilijt te, qui præmiſit te; ò vis, & impetus amoris, ad quid domine venis? quòd curris? quòd volas? vt meam aſſumas naturã venis, vt pro me patiaris, aduenis, & & feſtinas, quis hoc facit? Amor, amor dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax: Verbum caro diceris, & es, vt nobis perfectè adhæreas, & verè inter Deum, & hominem cognatio cõtraheretur, ò dulcis Deus, & dominus, quare hoc? niſi vt cauſam hominum acturus, nõ alienam, ſed propriam rem agere videreris, meam induis formam, vt ſuſcipias cauſam, quid vltrà facturus es domine pro me, quod non feceris, & tamen ſic viuo, quaſi non feciſſes, verè confuſio cooperuit me, qui dum hæc cogito, adhuc peccando remaneo frigidus, & ad te non accedo, vt caleſiam: ignem veniſti domine mittere in terrã, & quid voluiſti, niſi vt accendatur, inſuffla ſpiritu tuo, ſed vehementer, vt ardeat, in corde meo ſedeant ſpiritus tuus, quod eſt ignis, vt inflammetur. Amen.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO III.

BEnigne fac domine in bona voluntate tua, vt ædificentur muri Hieruſalem: quid enim habes in voluntate tua, niſi vitam, & vita in voluntate eius, vitam enim deſideras peccatori, hæc voluntas dat nobis velle, & perficere, & nimirum quia tu es Deus ſalutis meæ: te volente ædificabuntur muri Hierusalem, tua enim voluntate beatos facis, quos vis, & cæleſtis patriæ ciues reddit, ſi tu eligis me, & aſſumis, inhabitabo in atrijs tuis: nō enim enim acceptas ſacrificia, quibus de iuſtitia debeatur merces æternæ vitæ, de quibus dicitur, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quàm reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex, niſi ædificata prius ciuitate animę per gratiam tuam, benefica ergo domine in bona voluntate tua Syon: & quod erit domine futuræ gloriæ pignus, niſi filij tui, & Saluatoris mei Ieſu Chriſti corpus, & ſanguis, reuela domine te ipſum, detege te, velamenta iſta, ſacra nempe accidentia, quæ te contegunt tolle, & ero beatus, quia beati

oculi, qui te videbunt, ò magnus amoris effectus, fac domine, vt dicam; tenui eum, nec dimittã; perſeueret anima mea in diuino amore, intuitus mẽtis meæ à te alio non diuertatur, nec amplius cor meum diuerſarum cogitationum varium ſe exhibeat, ſed ad te inuariabiliter dirigatur; inſtans, & perſeuerans ſit oratio mea ad te, dicam ſemper; reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus, & pauper ſum ego, non per diuerſa diſtractus, ſed te ſolũ Deũ quærens adiutorem; quis autem faciet hæc? niſi tu, qui te ipſo ſatiaſti animã meam, & pinguedine ſaporis tui viſcera eius repleſti; ò ſatietas, ò plenitudo gratiarum; non me perfudiſti confuſione, ſed dulcedine; mel, & lac ſub lingua mea, ſed & dulcedo mellis in viſceribus meis; verè fauus diſtillans labia tua, non quaſi gurges tranſit, ſed perfundit ſuauiter, vt anima mea quæ arebat, quaſi rore perfundatur, & fructus faciat; per te ò ſpiritalis eſca ſpiritualiter viuimus, & ſpiritu ambulamus vt factis carnis mortificatis viuamus, & tibi, non mundo viuamus; vileſcãt mihi domine omnia, quod non es tu; bonum enim non datur ſine te, & te-

cum

Digitized by Google

cum: non timeo mala, quia tu es adiutor fortis.

CONSIDERATIO IV.

QVæ habitas in hortis, amici auſcultant, fac me audire vocẽ tuam: inuitantis vox Eccleſiæ triumphantis eſt, quæ pœnitentis vocem audire exoptat; gaudium enim eſt in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: ſed quare, ô ſemper Beati Spiritus, qui Angelorum dulciſonas voces auditis, qui Cherubimq́, & Seraphim choros laudantium Deũ, & dicentiũ, Sãctus, Sanctus, Sãctus dominus Deus Sabbaoth, aure percipitis, adhuc nos miſeros audire cupitis? Magna veſtra charitas eſt, vt nimirũ pro nobis intercedatis, quando noſtras petitiones, & orationes expectatis: ſi vos, ô Apoſtoli, ô Martyres, in corpore cõſtituti, quando pro vobis ipſis debebatis eſſe ſolliciti, pro nobis orabatis, quanto magis poſt palmas, victorias, et triumphos; ſed ô hominum cœcitas, & mea præcipuè, quomodo orationis obliuiſcor, & quàm rarò ad arma tam fortia recurro; quare hoc domine? niſi

quia

quia ſi aliquando oro, fructum non video, nec aduerto, quod tunc tibi dulcis eſt vox orantis, quando facies, quæ eſt conſcientia, eſt decora, munda ſcilicet, & à ſanguinibus peccatorum lota; hoc tu domine nos doces, dum dicis, & faciem tuā laua; tunc enim ad te poſſumus fiduciam habere, quia quicquid petierimus, obtinebimus, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos; ſed audi dominę Deus meus, vocē fletus mei, vocem peccatoris tuā gratiā, & miſericordiā intenſo deſiderio expectantis; ad tę ſunt oculi mei, ne peream; non ſubſiſtā, niſi tu adiuues me; inclina aurem tuā, & exaudi me, quoniā inops, & pauper ſum ego: Intercedite ſancti Dei pro me, vt veſtra charitas fulgeat in impetrāda ſalute peccatoris; mutetur veſtris interceſſionibus hæc ferrea voluntas mea, & ad bonū dirigatur; niſi enim Stephanus pro Saulo rogaſſet, non habuiſſet eum in cœlis cōſortem, quem in terris habuerat perſecutorem; magna eſt veſtrę vis interceſſionis, hanc indigens cupio nimis: hoc impetrate mihi, vt feruenter, & ſæpe orem, & repetam domino sēper; Peccaui, impiè geſſi, iniquitatem

feci

Digitized by Google

fecl,ſed miſerere mei, & nè facias cō-ſummationem.

CONSIDERATIO V.

QVoniā ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique; Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritū, & humiliatum Deus non deſpicies: Quid eſt hoc domine, quod dū non vis ſacrificiū, ſacrificium non ſpernis, & exoptas? niſi quia externa opera, aut ſacrificia expoſcis, in quantum ſigna ſunt internæ deuotionis, & cordis, animique oblationes, vt diſcamus, quæ à nobis expoſcis, nobis prodeſſe, non tibi: inde dicitur? Dixi domino Deus meus es tu, quoniam bonorum noſtrorū non eges; inde cor à nobis requiris, quo te diligamus, & clamas; Fili præbe mihi cor tuum; ab Abraham filiū petis in holocauſtū, ſed non effectum poſtulas, ſed affectum, ideoque dum præſtò eſſet, clamas, ne extendas manū ſuper puerū, voluntatē enim videras, & obedientiam, quā volebas; mihi domine vtilia petis, proficua exoptas, neque noſtra eges iuſtitia, neque totum, quo rectè coleris, tibi

bi prodeſt, ſed mihi, neque enim fonti ſe quiſquã dixerit profuiſſe, ſi biberit, aut luci, ſi viderit: ò bonitas, ò miſericordia; non penſas cenſum, ſed affectũ non quantũ, ſed ex quanto, Deus omnipotens, & dominus omniũ, voluntatem hominis æſtimas, & cor poſtulas; voluntaté coronare ſoles, & propter menté præmia præſtas: Quæ eſt ergo dementia mea, quæ maior inſania, denego tibi, quod tuũ eſt, & petis à me, vt ſalues me; inimicus valde eſt mihi cor meũ, dum in manu mea eſt, cor meũ fons concupiſcentiæ meæ; vnde dicitur; malũ non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatũ, ſi autem in manu tua erit, illud accipies in holocauſtum, & erit mundũ; accipe domine illud, vt in volũtate tua deducas me, & teneat me dextera tua, & dicã; nunc cępi, hæc mutatio dexterę excelſi. Sic fiat, ſic fiat.

CONSIDERATIO. VI.

IVſtus dominus in omnibus vijs ſuis: Tu iuſtus, ego peccator, iuſtè ergo patior, & affligor; iuſtus dominus, & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit

dit vultus eius; oculi tui ad iuſtitiam, & rectum diriguntur; ſi ergo tribulor, ſatis iuſtè facis, vt tuæ iuſtitiæ domine perfectè ſatisfieret; mors filij tui domini mei Ieſu Chriſti, de quo dicitur; qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, grata tibi fuit, & accepta, ita diligis iuſtitiam, vt ei prępònas vnigeniti tui vitam, poteras omne debitum homini dimittere, alijſque modis eius reparare ſalutem, ſed haud iuſtitiæ tuæ ſatis fiebat plenè, niſi filij tui morte intercedente, mortem ergo admittis filij ad oſtẽſionem iuſtitiæ tuæ, dum ergo voluntati meæ contraria quotidię experior, quare non dico; Deus eſt, qui facit, qui eſt iudex iuſtus; quare non ſuſtineo, ſed iraſcor nimis; recordare domine, quod ſicut lutũ feceris me; quæ erit ergo fortitudo mea? tu ſcis domine, quàm fortis eſt iraſcibilis motus, & concupiſcibilis, quàm violentus, vides antiquam luctã carnis, & ſpiritus, vides in adiutoriũ illius ſpiritum nequitiæ, & tenebrarum, undique laqueos, vnde ſpiritus debilitatur, & ſuccumbit; in te ſolo ſpes mea eſt, quia tu adiutor fortis, patiens, & qui nõ iraſceris per ſin-
gu-

gulos dies; circumdet lex amoris medullas, & viſcera animæ meæ, ignitum eloquium tuũ animam meam inflammet; vt amicos diligam in te, & inimicos propter te, obmuteſcam, & non aperiã os meũ, cum conſiſtunt quotidie peccatores aduerſum me, conſiderem illos miniſtros iuſtitiæ tuæ, ante me ſint peccata mea, pro quibus patior iuſtè defleam domine peccata mea, quæ tribulationes infligunt, qui autẽ faciet valida hæc, cum ſit infirmus niſi tu gigas fortis alleues, niſi tu medicus ſanes; non ego hæc faciam, ſed gratia tua mecũ ſic rogo, & ſupplex oro. Amen.

CONSIDERATIO VII.

POne domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circũſtantiæ labijs meis; vides domine lubricitatẽ linguæ meæ, & quas mihi præbẽt maligni homines occaſiones, vt detrahã illis, chamo ergo, aut fræno aliquo coerce illam, pone clauſtrum ori meo, ne in verba mala proſiliam; quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculũ certum, vt non cadam ab ipſis, & lingua

gua mea ne perdat me; Pone os tuum circũſtantiæ labijs meis, oſtium firmiſſimũ, quale ſolet arcibus, quæ præſidio ſunt Vrbibus, imponi, non enim minor cuſtodia requiritur; ne lingua mea labatur, & corruat anima mea, ori meo oſtia fac, & ſeras; tu enim potes domine; quia ego infirmus sũ, & minus valens: gratia tua, tuumque auxiliũ ſummoperè neceſſarium eſt, vt linguam quis hominum domet; inde illud imploro vehementer, quis enim poterit in loquendo cohibere ſpiritum ſuũ inflantem illũ ſpiritum ſuperbiæ, & tumoris, qui cor accẽdit; vnde os aperitur, ne in meditatione ignis exardeſcat; intelligo domine, quia nullus hominũ linguã domare poteſt, vnde ad te confugio, vt domes meã, cum conſiſtunt aduersũ me peccatores; pone tu cuſtodiam ori meo, excitatã irã in corde meo frange virtute tua, accẽſum igne iracundiæ cor extingue tuæ charitatis, et amoris igne, validior ignis es, & illuminans, dum cor meum iraſcitur, excæcatur, & non videt, veniat ignis tuus, quod es tu, qui es dominus pacis, & illuminãs oculos, vt extinguatur ira, & videam, ignis vertatur in

ignem

Digitized by Google

ignẽ, ira in charitatẽ, & tunc ſcluatur vinculum linguæ meæ, & loquatur recta; tunc meditabitur, modulabitur lingua mea iuſtitiã tuam, tota die laudem tuam. Amen.

CONSIDERATIO VIII.

POſuerunt ſuper caput eius cauſã ipſius ſcriptam: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, ò ſacramentum admirabile, ò profundũ myſteriũ, tu ò Pilate dicebas, & rectè: Nullam inuenio cauſam in homine iſto, quomodo ergo inuenis eam, & ſcriptã ponis, vt toti mundo pateret, nullum inuenis ex ijs, in quibus eum accuſabant, quia peccatũ non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius, ſed benè adeſt cauſa, quã tu non intelligẽs, dicis; Ieſus enim eſt, quod eſt Saluator, venit vt ſaluetur mundus per ipſũ; venit, nõ vt pugnet viuus, ſed vt triumphet occiſus, moritur, vt homines reconciliaret Deo, & hominibus aperiret cœlum, hominum maculas cruore ſuo lauaret, mortem occideret occiſus, vitam repararet, & Dei iram extingueret; ò glorioſa mors cunctis celebranda ſæculis, ſi eius cau-

ſam

ſam diſcamus, & quamobrem paſſus fuerit vnigenitus Dei filius, conſideremus, mirabitur bonitatem, humanitatemque eius, & gloriabimur, quemadmodum Paulus, in cruce; exclamet anima mea, & toto corde dicat; Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, neque attendas pœnam, in qua eſt opprobrium, ſed cauſam, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, per quem ſaluati, & & liberati ſumus: tu ſolus Dominus meus Ieſus à peccato liber inter filios Adam pro omnibus filijs illius libens moreris, vt à peccatis eruas eos, pro omnibus exoluis pęnas, & liberos reddis captiuos, erutoſque è mortis faucibus, Paradiſo reſtituis, & regno cæleſti; paſſus es domine pro gloria Patris, eiuſque obedientia; ſic enim dicitur, factus obediens vſque ad mortem, humiliaſti temetipſum, vt meam eleuares naturam; ò miſericordia, ò amor, ò gloria, quis hęc recogitans, ſe continere poterit, ne exclamet; ſit gloria domini in ſæculũ; quis non erubeſcet, cũ ſic amantẽ Deũ offendit ingratus; crucifixũ pro me iterùm affigo cruci; vocantem me extenſis in cruce brachijs
pec-

peccatorum meorũ acutis clauis fortiùs figo, ne amplexetur me; ſed tu Domine, qui Patrem pro crucifixoribus exoraſti: non attendens, quòd ab ipſis ſed quia pro ipſis moriebaris, ora pro me, audacter dixi; Miſerere mei, ne derelinquas me.

CONSIDERATIO IX.

AVdiam, quid loquatur in me dominus, quoniam loquetur pacem in eos, qui conuertuntur ad cor: in eos, qui non reuertuntur ad ſtultitiã, quæ eſt iſta pax domine, quàm promittis verè ſe conuertentibus ad te, & ita conuertuntur, vt amplius ad peccata non redeant, pax illa gloria tua eſt; ſtatus omniũ bonorum aggregatione perfectus; ibi enim quies eſt, quę ſine te non datur, quid enim deficere poteſt, vbi tu es, & quod poteſt eſſe bonũ ſine te; ego autem verè ſtultus, & inſipiens præcordia mea, quaſi fatui, rota curri, axis verſatilis cogitatus meus, ſemitę greſſuum meorum inuolutæ ſunt, & in circuitu impius ambulo; quàm breuis eſt pœnitentia mea, & iterùm ad peccata recurro, nõ

mi-

milito fortitèr,& carnis illecebris, & temporalium bonorum deſiderijs conſtringor, & grauor, ijſque veſtitus citiùs deijcior, & terræ addictus, & cõglutinatus teneor, ne reſurgam; quæ erit igitur ſpes mea ad gloriam, ſi datur ijs, qui ſpiritu facta carnis mortificant, & ad terram proſtrata carne ſpiritu victores viuunt, quomodo reddetur mihi pax, quies, & gloria ſi bonum certamen non certo, & viriliter nõ pugno; nihilominus tu es ſpes mea, miſericordia tua domine circumdabit me, pœniteat me domine peccatorum meorũ, plangam ex toto corde eorum pondus, ſentiam, & videam deformitatem, ſic lugeam, vt ad ea non reuertar, & tandem perueniam ad te, quod es omne gaudium, & bonum. Amen.

CONSIDERATIO. X.

COr meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ; in quem enim cor humanum, quod eſt principium vitæ naturalis, niſi in Deum viuũ, qui eſt ipſa vita, & totius vitæ fons, exultaret? non in hoc mundo eiuſque bonis cito cũ omni ſuo amore mo-

Digitized by Google

morituris, ſed in Deum viuum; illud enim verum, & ſolum gaudium eſt, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur; quod cum poſſederis, nemo tollet à te; de quocumque enim alio bono gaudeas, tranſitorium eſt, amiſſionem times; ſi auté de Deo gaudeas, quid times? Deum nemo tibi auferet, ſi tu eũ non amiſeris; dies, qui diuinis impenduntur gaudiis, dicas lætos, dicas cũ Propheta; per ſingulos dies benedicam te; ego autem miſer quare in temporalia, vel exulto, vel exultare contendo, fugientem vmbrã ſequor, & in vanũ laboro? niſi quia caro ſum, eiuſque premor pondere, ne ſubleuer ad cæleſtia, & in Deum exultem, quem non video; auxilium eſt à te, vt aſcenſiones diſponantur in corde meo in valle lachrymarum, in qua viuimus; tu dabis benedictionem, vt eam de virtute in virtutem, & videam te Deum deorum, & dominum dominorum in finem: quis alius præter te domine eleuet animam meam, quæ eſt quaſi plumbum in aquis multis, & ad tuam dirigat contemplationem? ſis ſolus tu obiectum voluntatis meæ, fixum ſit in te omne deſiderium meum

meum, quærat te ſemper cor meum, & ita quærat, vt inueniat; ſi te inuenerit, lætetur, & quieſcat; anxium ſit cor meum, donec inueniat te: cuncta temporalia percurrat, nullis immoretur bonis; ſed ſemper ad te currat feſtinus, vt gratia tua tãdem perueniat, & quieſcat; quis autem hæc faciet, niſi tu, qui in voluntate tua deducis nos, vt cum gloria ſuſcipias nos, gloria mea tu es, & exaltans caput Deum, eleuãs, & dirigens, vt tandem perueniamus ad te: ſic fiat. Amen.

CONSIDERATIO XI.

QVia ecce, qui elongant ſe à te, peribũt: Quid ergo mirum, ſi ventus appetitus mei trahit me, impetus concupiſcentiæ meæ per varia bonorum temporalium deſideria impellit me, nec me cõſiſtere ſinit; à longè te ſequebatur regni cæleſtis clauicularius, Apoſtolorum primus, inde paulo poſt formidoloſus, & timidus, quia à ſalute, quod tu es, aberat, negat te, neque enim negare potuiſſet, ſi tibi proximus adhæſiſſet; quia tibi adhærere bonũ eſt; ſic illa, quæ lethali

neri ſuo à te ſuperno medico requirebat, ſtans retrò ſecùs pedes tuos, dicitur, quia iam cadere non poteſt, qui ad tuos pedes meruit peruenire; ò felix anima, quæ ſic propè te viuit, vt audiat te vocantem eam, proximam tuam, amicam tuã: quod eſt idem, qui autem longè à te eſt, non viuit, quia tu es vita, ſed ad mortem currit, & quantò eſt à te longior, tanto morti proximior, non illi morti, quæ iuſtis, & impijs eſt communis, ſed æternæ morti, in qua damnati viuunt æternis mancipatis pœnis ſine fine victuri, ò vita mortalis, vbi quis viuit, vt crucietur, & mortem non inuenit, nè quieſcat; tu ab illis Domine longè es, quia illi lõgè abfuerunt à te, vt per huius ſæculi delicias fallaces, concupiſcentijs abſtracti, & illecti percurrerentes; ſic ego domine, ſic ego; ſed ad te venio feſtinus; ſcio enim, quòd nõ abhorres peccatorem, mortuus venio ad vitam, vt reſuſcites me, per ſæculi huius deſideria vagus, vt ſiſtas me: tu Domine traxiſti, me, neq; enim veniret mortuus, niſi tractus; ſed volentem trahis, non inuitũ: curram poſt te, donec inueniã te, tibi inuento adhæream, quia bonũ

eſt,

eſt, tu enim bonus es; ſic ſtabo iuxta te te in hac vita, vt in beata in æternum fruar te, & dicam; Benedictum nomẽ maieſtatis tuæ in æternum.

CONSIDERATIO XII.

DOminus firmamentum meum, & refugium meum: quid enim poterit homo, niſi in te, imbecillẽ, & luteũ tu reddis fortem; inde dicitur; Deus, qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prælium, poſuiſti, vt arcum æreum brachia mea, & dediſti mihi protectionẽ ſalutis tuæ; cæcũ illuminas; inde dicitur; quoniã tu illuminas lucernam meã domine; in tribulatione facis conſtantem; inde dicitur, quoniam tu es patientia mea; afflictos ſperare doces; inde dicitur; Dominus ſpes mea à iuuentute mea; in periculis ſalus oſtenderis; vt dicatur; Domini eſt ſalus; tu ergo domine; petra mea, robur meũ, & Saluator meus; Eſto mihi in Deum protectorem, & in domũ refugij, vt ſaluũ me facias; extra te namque non datur tutus præſidij locus; terreſtrem Paradiſum expugnauit Adami inobedientia, cæleſtem

Luciferi ſuperbia: quæſiui locum, quò fugerem, ſed ſine te inuenire non potui munitum, inde te ipſum quæro locũ, neque recuſes te præbere confugiẽti ad te homini munimentum, qui & petra refugium hetinacijs; ò felix petra, ò robur, ò Saluator, ad te confugio, vt ſuſcipias me.

CONSIDERATIO XIII.

ACcedite ad eum, & illuminamini; Quibus pedibus domine accedendum eſt, niſi affectibus, quibus mouetur anima, & ad te venit, vt lumen recipiat, & vlterius non tenebreſcat; animo enim acceditur, non vehiculo; affectibus, non pedibus; præcipuè tamen fortitudine, vt in aduerſis ſubſiſtamus, humilitate, ne in proſperis eleuemur, fide, per quam ambulamus, ſpe, qua incedendum eſt, nec dicam amando: amore enim ad te Deum aſcendit anima volando, non gradiendo, nec currendo, quis autem excitat affectus iſtos, quis dat fortitudinem; niſi tu Dominus fortitudo mea & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuet me, quis humili-

litatem, niſi tu, qui dicis: ſuper humilem requieſcit ſpiritus meus: fidem quis dat, niſi tu, quia fideles in dilectione acquieſcent illi, fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti, ſpē quis tribuit, niſi tu, Deus autem ſpei det vobis idipſum ſapere in alterutrū, & charitatem quis excitet, niſi tu Deus charitatis, & amoris, & charitas Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, repleat corda veſtra, & intelligentias veſtras: tu ergo facis, vt quis veniat ad te, noſtra autem culpa eſt, quando venire ceſſamus, affectum nāque excitas, tuo ſpiritu inflammas, nos autem peccatorum aquis extinguimur, eorum funibus conſtringimur, ne ad te ambulemus, inde in tenebris ambulamus, & in regione vmbræ mortis quaſi vincti ſedemus, tentationibus obnoxij, & quaſi agitatæ ventis arundines huc, illucque inflectimur, & te non inueniendo nunquam quieſcimus; tu domine, qui ſaluos facit ſperantes in te, ſaluum me fac, quoniam in tu confido, & ſperaui in te.

CONSIDERATIO. XIV.

VNam petij à Domino, hanc requiram, vt videam voluptatẽ Domini: Quare cor meum ad plura temporãlia dirigitur, & æterna non ſuſpirat? vnum petijt Dauid, huic petitioni immorabatur feruens, & ſuſpirans, quia vnum illud omnia continet; vt videam voluptatem Domini, gloriam Domini, vbi torrente voluptatis tuæ Beatos ſatias; dulcedinẽ Domini, te ipſum dominum, qui dulcis, & rectus es; pulchritudinem Domini, te dominum, qui pulcher es, & decorus; delectationes Domini, recreationes tuas Domine, quod tu es; in viſione tua anima glorificatur, voluptate, & dulcedine ineffabili repletur, delectatur, & recreatur, & ſic torrente deliciarum ſatiatur, vt dicat; quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum; quis autem hęc intelliget? quãdiù in hoc corpore, quaſi tenebricoſo carcere detinemur, inde concupiſcentijs quatimur, & delectationibus ſenſibilibus inhæremus, anima, quæ creata ſtatim corpori infunditur, ſine ſenſibus

ſibus neſcit operari, ſeparatarum ſubſtantiarum à corpore naturam non intelligimus, & proinde ea ſolùm, quæ obijciuntur ſenſibus, amamus; ſed tu Domine illumina tenebras meas, lucernam meam, oculos meos, non exteriores, ſed internos, vt videam, & tãdem viſitem templum tuum, Paradiſum tuum, vbi habitas: diſcedant à me tenebrę peccatorum meorum accedẽte te, illuminante lumine accendatur cor meum amore tuo, adueniente te igne conſummante abſtrahatur anima mea à rerum viſibilium deſiderijs, & ad inuiſibilia dirigatur, diuiſa deſideria mea vniantur in te vno, quod es omnia, per hæc temporalia pertranſeã, in amore tuo permaneam fixus, & firmitèr; id enim erit in hac vita videre voluptatem tuam; hoc ſuauitatem, ſaturitatemque ſignificat, & præfigurat in illo æternitatis regno. Amen.

CONSIDERATIO XV.

LÆtetur cor quærentium Dominũ: Quid mirum, ſi quærens ego miſer temporalia, cor meum, & anima mea dolentes viuunt, per varia obie-

cta circuunt, & minimè requieſcunt; quæſiui Domine, & minimè inueni; ſed non perſeueraui, vt quærerem; tu autem ita quærendus es, ac ſi nunquã inueniaris; vt enim non ceſſat quærere, qui non inuenit, ita qui te quæſierit, nunquam debet ab hac inquiſitione ceſſare; inde dicitur: quærite faciem eius ſemper, quia tu Domine, & ſi quæſitus inueniri potes, imò aliquoties inueniris à non quærentibus, & palam apparees ijs, qui te non interrogant, inuentus etiam quærendus es; quia quæreris inueniendus, & inueniris quærendus: tàm magnum, & incomprehenſibile bonum es, quòd, & quæreris, vt inueniaris dulciùs, & inueniris vt quæraris auidius; neque anima cũ te inuenerit, à quærendo ceſſabit, quia felix inuentio non extundit deſideriũ ſanctum, ſed extendit: qui autem ſunt, qui quęrunt te Deum, ac Dominum, niſi qui totis viſceribus amant te, toto corde adorant te, hilari, ac læto animo recurrunt ad te, & à tuis manibus cuncta expectant, in tribulationibus hilareſcunt, & non concidunt, in bonis non exaltantur, in cunctis quærũt te, & quæſitum, ac inuentum auidius

quæ-

quærunt, vt ſtrictius inhæreant tibi, quod es omne bonum; in inquiſitione non deficiunt, quia quærunt te tecū; viæ tuę inueſtigabiles, quia quò quæruntur magis, eò magis quærendæ inueniuntur, tu finis, & ſcopus viarum, imò via ipſa; quæ ad te perducit: felix anima, quæ in via tua ambulat, hoc eſt in te, vt inueniat te, vt poſſit dicere; inueni, quem diligit anima mea; te sēper quærat, & inueniat anima mea, dirigatur affectus meus ad quærendū te, nec deſinat quærere, ſi inueniat; ſic enim lætabitur, & cantabit in vijs tuis Domine. quoniam magna eſt gloria Domini. Amen.

CONSIDERATIO. XVI.

PRopter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo; quod eſt nomen tuum, niſi miſericordia tua; hoc nomen namque tibi eſt Deus meus, miſericordia mea, propitiare peccato meo, vt cognoſcatur nomen tuum, quod eſt propitiator ſuauis, & mitis; præſta te, quod polliceris nomine; non propter facta mea, quæ mala ſunt, ſed propter te metipſum, propter bonitatem tuam propitiare pecca-

to meo, vt vbique gloria nominis tui, bonitas, & benignitas tua celebretur, & cognoſcatur; hoc nomen tuum inuocatum eſt ſuper nos; propitiare ergo, remitte reatum, ac pœnam, condona noxam, magnum, & admirabile nomen tuum; magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus; magnum ergo magna condonare, æquũ eſt, & ſi peccaui tibi, & malum corã te feci, propitiare mihi nihilominus, quia maximum, & graue peccatũ meum agnoſco, & deiectis præ confuſione oculis propitiationem inuoco tuã, & te nomino propitiatorem, vt parcas mihi; magnum, & multum eſt peccatum meũ, omnibus modis grande, & omnibus vitæ meæ annis extenſum; ſed tu parce propter nomen tuum, qui benignus diceris, vt dicatur; vbi ſuperabundauit delictum, ſuperabundauit & gratia; grauitatem peccati mei cognoſco, & annuncio; vndique me peccantem oſtendo tibi Domine; tu autẽ vndique magnus, ſed miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua; non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis; in his multis

pro-

Digitized by Google

propitiare Domine peccato meo, quod eſt multum, vt luceat multitudo miſericordiarum tuarũ, & miſerationum tuarum, quæ à ſæculo ſunt, dele peccatum meum, multũ eſt enim, vt magnificetur nomen tuũ; propitiatio tua, & magna dicatur, & multa, propitius eſto peccato meo multo, & magno, vt dicaris faciens miſericordiam Chriſto tuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſæculũ. Quam magna eſt multitudo dulcedinis tuæ Domine, exerce dulcedinem tuam multam, multitudini parcens peccatorum meorũ; vt vbiq; dulcis dicaris, & propitiatione plenus, ſupereffluẽs, & ſuperplena miſericordia tua videatur, & glorificetur in remiſſione peccatorũ meorũ, quæ fluũt, & abundant; hoc eſt peccatũ meum multũ, hinc indulgentiam exopto, & remiſſionem imploro à te Domine, qui multus es in miſericordia; ò dulcis, o miſericors, ò propitiator, miſerere, propitius eſto, ad te venio in amaritudine animæ meæ, reple eam dulcedine tua, quæ magna eſt, ſic autem repleatur ea, vt non obliuiſcatur luctus, & doloris propter multitudinẽ peccatorũ; quò enim tu dulcior es, &

ad indulgendũ promptior, eò inexcuſabilior sũ in multitudine peccatorum meorũ, & ſi indulges tu, quia multus in misericordia, ego flere debeo, quia peccatũ meũ multũ eſt; quis mihi det te multum miſericordem, & me multũ peccantem quotidie conſiderare, vt tuam miſericordiam exaltem, & mea peccata plangam multum: tu domine potes.

CONSIDERATIO XVII.

DIlexi: quia inclinauit aurem ſuã mihi: Quorsũm Domine loquẽti aures inclinas, niſi vt facias, quod facere ſolemus erga eos, qui ſubmiſſè loquuntur, propè admouendo aures, vt ex propinquo ſenſu excipiamus id, quod quis loquitur: quemadmodum ægrotanti alicui; & ex multa debilitate loqui clarè nequeunti humanus aliquis medicus auribus ſuis propius admotis ægroto, ediſcit, quæ ſint neceſſaria laborãti; ò Deus verè pius, verè miſericors, & clemens, medicus cæleſtis, & infirmis ſalutem quęrens, tu magnus, & omnipotens infirmo homini, & loqui præ debilitate altiùs nõ

va-

valenti te inclinas, ſubmiſſas eius preces proxima aure beneuolentiùs captas: quomodo voces meæ imbecilles ad thronum tuæ maieſtatis peruenire valeant, niſi tu inclinatis quodammodo auribus percipias eas; inclinas aures, & exaudis verba mea, & ſic mirificas miſericordias tuas; mirabilem te oſtendis, & mirabiliter operaris; Diligam ergo te Domine fortitudo mea, refugium meum, & firmamentũ meum, & dilexi te; ſed tu prior dilexiſti me, quis enim te in amando præſumat præuenire, ſi tu charitas es, amor es, Deus ignitus es, imò, proh dolor, quoties tu amans Deus non diligeris, quoties, quoties ignem mittis in cor meũ, vt ardeat, & nihilominus peccãdo remaneo frigidus, & ſic frigeſcit cor meum, vt ignitum eloquium tuum extinguatur; & minimè illud accendit, repletum eſt cor meum, vndique ſeptum temporalibus rebus, & deſiderijs, & amori tuo non dat locum; quomodo ergo verè dicam; Dilexi? imbecillibus, & frigidis orationibus meis pium præbes auditum, & tamen ingratus non diligo, nec amo vehementiùs ſi non Deum, ac dominum ſaltem miſeri-

ricor-

ricordem benefactorem, quare hoc conſiderans non doleo, vbi ſunt lacrymæ, & gemitus, cur tribulationem nõ inuenio, & dolorem; niſi quia non quæro, temporales delicias perſequor, & quia vmbræ ſunt, fugiunt, & perſequentem me laſſant; ingratitudinem meam non deploro, & ſi aliquando lacrymulas profundo, eas continuò riſus ſequitur, & triſtitiam è veſtigio conſequitur voluptas; dicam Domine; in omnibus diebus meis inuocabo, vt circumdent me dolores mortis, & pericula inferni inueniant me; & ſic plangam ingratitudinem meã, & perueniam ad amorẽ tuũ; cor meum, & lingua mea dicant frequenter; Dilexi, dilexi; ex abundantia amoris tui in corde meo repleatur os meum, & viſcera mea dilectione redundent; fugiant à corde meo omnes affectus, vt amore tuo repleatur; ſtigmata tua portẽ in corde meo, quia ſeruus tuus: non in ſeruitute timoris impreſſa ferro, ſed in adoptione filiationis amoris igne ſucceſa, vt clamẽ: Abba pater. Audacter dico, quia peccaui in te, & non ſum dignus vocari filius tuus, dicam tamen, Abba pater, quia tu nõ de-

deſinis eſſe pater, et filios recipis redeuntes. Amen.

CONSIDERATIO. XVIII

BIbite, & inebriamini chariſſimi: ò diuinæ conſolationes, quę adhùc in via hac peregrinantibus, varijs tribulationibus onuſtis, & longo itinere laſſis affluenter dantur, nè ſuccumbamus: ò ebrietas, quæ facis ſobrios: verè ebrietas gratiæ, non temulentiæ, quæ lætitiam generas, non temulentiam, pignus illius, quæ in patria cœleſti iuſtis datur: vnde dicitur: inebriabuntur ab vbertate domus Dei: quæ verè ſobria ebrietas eſt, vero, non męro, ingurgitans, non madens vino, ſed ardens Deo, lugentibus, conſolationem præſtas, nedùm in cœlo, quando abſterges omnem lacrymã ab oculis Sanctorũ, & luctus non erit vltra, ſed adhùc in via laborantibus nè deficiamus: in cœlo ſatias torrente voluptatis, & deliciarum: in terra autem te ipſum ſic præbes, vt ſis nobis cibus, & potus, ſanguine tuo, quaſi lacte reficis nos, & carne tua debilitatos nos, reddis fortes: exultat inde cor noſtrũ, & tibi

Deo

Deo iubilat, ſecundum multitudinem dolorum meorũ in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meã; inuitas, & præuenis nos, & Pater miſericors, & pius excitas nos: & cùm dixeris: bibite vinum, quo miſcui vobis, vltro te porrigis, & exclamas: Bibite, & inebriamini chariſſimi: ſic bibite, vt corda veſtra dulcedine, & conſolatione redundent: ſpirituales tamen deliciæ ſunt, inde ſenſibus non percipiuntur: & tu Domine aliquoties ſenſibiliter conſolaris, vt corpus etiam viuificetur, quia exclamauit: Viuifica me ſecũdũ verbum tuũ: O felix anima, quę ſic recipit conſolationes, vt magis timeat nomen tuũ, quod eſt miſericordia tua: timeat, nè te offendat, quia bonus es, quia pius, quia miſericors, quia paracletus, quia conſolator es: noſtrum deſideriũ reples in bonis, & ſi quando differs, id facis, vt affectuoſius quæramus, vt famelici recipiamus, & nutriamur magis: preſſuris, & tribulationibus mundi huius circũdas nos, & quaſi ad tempus derelinquis, vt ardentius cœleſtia inquiramus, & à te conſolationes expectemus, quæ verè ſatiant, & inebriant: vide, quàm arida

ſit

ſit anima mea, quam frigidus ſpiritus. et tamen tuus ſum: tu ſcis afflictionē meam, et laborem meũ: veni Domine: vt eripias me, vt conſoleris me, et dicam: Suauis Dominus vniuerſis, et miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

CONSIDERATIO XIX.

DOmine Deus virtutũ quouſque iraſcèris ſuper orationem ſerui tui: Virtus tua Domine miſericordia eſt; inde dicitur in virtute tua iudica me: miſericordia tua ante oculos meos eſt: quare ergo iratus ſerenitatem faciei, vultuſque tui oſtendere deſinis, ex ira eleuans fumum, nè videaris, quouſque fumabis ſuper orationem ſerui tui: in ira tua fumus aſcendit, et lumen tuum, quod eſt verbum tuum, videre nequeo, exardeſcat in breui ira tua, quoniam ad momentũ eſt indignatio tua: quouſque, quouſque iraſceris, et abſcondis te? iram tuam mereor, quis negare audeat, quia et ego iraſcor, dùm in contradictionem ponis me, et inimici mei ſubſannant me, impatiens in tribulatione

ſum

ſum, et amorem tuum non video, dũ flagellas, quaſi pater me, peccata mea, quæ iram tuam excitant, et quaſi carbones ſuccendunt, non conſidero: inde dùm tribulor non ad te recurro, vt exaudiar, ſed in amore tuo frigeſco, et de te lamentor, quia nimium caſtigari videor, et miſericordiarum tuarũ obliuiſcor, in prouidentiam ineffabilem tuam, et quæ non fallitur, excandeſco, et vermis cum ſim, eam audeo tractare, et cogitare, cur ità facias, et quare ſic imponas, et inſidere facias homines ſuper capita noſtra, in iracũdia ſuperbio, et contra homines affligentes me inſurgo, et odio fumigante excæcor, et peccata mea, quibus iram mereor, non video, terrena ſic concupiſco, quaſi cœleſtia non eſſent, et eorum priuatione angor nimis, et vigente concupiſcentia charitas frigeſcit: ò me miſerum peccatorem, quàm grauiter offendi te, nimiũ peccaui in te, et nihilominus recurro ad te, quia potentiam tuam contra folium, quod vento rapitur, non oſtendes, vt perdas me, et ad nihilum reducas me: ſed potiùs reminiſcens miſerationum, et miſericordiarum tuarum, quæ à ſæcu-

lo

lo ſunt, recipies me; nimis audacter venio ad te; nimis enim peccaui, & doleo parum; cognoſco Domine, tamen ſcio, quia magis offenderem te diffidens de te; exarſit cor meum in meditationibus meis ſuper tribulationibus, quæ circumdederunt me, & aruit, madefac Domine illud rore gratiæ tuæ, ciba illud, quo cibo, niſi te ipſo, antequàm autem venias, da panem lacrymarum, abſque menſura lacrymis ciba me, vt defleam peccata mea; multa, & magna ſunt, etenim fluxerunt horæ, in quibus non ſicùt debeo, amaui te; quis eas recogitando temperet à lacrymis, & tamen adhùc aridum eſt cor meum, & abſque lacrymis oculi mei, fletus ille, & ſtridor dentium debetur mihi, & peccatis meis, quæ non defleo; ſed tu Domine eripe me, quia flere deſidero; veni ad me, vt amem te, tu enim amor es; ſic autem te amem, vt in te, & propter te amicos diligam, & inimicos; vehementiores paſſiones animi mei tempera domine; potes enim, illumina oculos cordis, vt rerum temporalium videant nihileitatem, in huius ſæculi lubricis eſto mihi baculus, & lu-

men

men in tenebris, vt dicam ſemper: Et factus mihi dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium ſpei meæ.

CONSIDERATIO. XX.

DEficiant peccatores à terra, ita vt non ſint; planè deficiant, auferatur ſpiritus eorum, & deficiant, vt emittant ſpiritum ſuum, & recreentur, ò felix defectio, ò beata renouatio; quando Domine vertis impios, & non ſunt, quando conuerſus facis illud vas alterū, ſicùt placuerat in oculis tuis: ò exinanitio peccatorum, vt iam non viuat peccator, ſed homo iuſtus, idem homo, ſed alterius qualitatis; quis hoc facit, niſi tu Deus; hæc mutatio dexteræ tuæ eſt; conuerſio, & tranſmutatio hæc miſericordiæ tuæ opus eſt; deficiam ego peccator poſt tot annos domine, & viuam iam non ego, ſed tu in me; deficiant paſſiones meæ, ità vt non ſint, nè illis vigentibus elonger à te, & ſic peream; quoties offendi te, & pepercisti; manibus tuis mundaſti cor meum, & iterùm inquinaui illud; ſed non deſino ſperare in te; erubeſco planè, & confuſio faciei

ciei meæ cooperit me, adhùc tamen confido in te, quia tu peccatores recipis, & conuerſus viuificas eos, vt lætentur in te: exeant à me tumentes ſpiritus inflantes cor meum, ſpiritum tuum rectū innoua in viſceribus meis: ſic munda cor meum, vt alterum, appareat, diuerſæ ex eo exeunt cogitationes; ad te ſuſpiret, & iam non ſibi viuat, ſed tibi, qui nobis mortuus es. Amen.

CONSIDERATIO XXI.

QVoniam conturbata ſunt oſſa mea; anima mea turbata eſt valde, & impleta illuſionibus: turbantur oſſa, quæ totam portant corporis ſtructuram, turbantur peccatorum pondere, metu mortis, terrore iudicij; inde dicitur: non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum; inde anima turbatur valde inter Dei præcepta, & cordis paſſiones, inter virtutes, & vitia, inter aduerſa, & proſpera, inter pœnas, & præmia, inter vitam, & mortem, ſtans in acie, bella ſuſtinens, ſuſcipiens vulnera, ra-

rò

rò ſtans occumbens ſenſu, turbatur anima, turbatur valde, quia carnis impedita ponderibus, ſtricta vinculis, priuſquàm ad virtutes veniat, vitiorũ fit antę captiua: ò bella,ò captiuitates; ſentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in ſeruitute peccati; caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem;affligitur ergo anima compedibus grauata corporis, ad bellum laceſſita, & nè ſuccumbat, ad Deum adiutorem ſolûm repetitis orationibus, & fuſis lacrymis exclamat;ſed tu Domine vſquequò obliuiſceris me in finem; vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me,reſpice, & exaudi me domine Deus meus, reſpice in me, & miſerere mei,quia Dominus, quia Deus,quia meus;tuus ſum ego ſaluum me fac, multi inſurgunt aduerſum me, multi bellantes,tu autem Deus adiutor fortis, in te ſpernemus inſurgentes in nobis.

CONSIDERATIO XXII.

DOrmitauit anima mea præ tędio: affligitur nàmque anima mea, Do-

Domine tu ſcis, ideò præ mærore, ac dolore lacrymis ſtillat, & quaſi liqueſcit in ærumnis meis gemo, & dolore preſſus, tædio vitæ afficior, & quaſi dormio, nec aggredior pugnam, ſpiritu nàmque triſtitiæ deijcior, quid remedij domine, vt releuer, confirma me in verbis tuis; ea enim baculi, & fulcri vim habent, & deiectum, & collabentem animum continent, & ſuſtinent, nè omninò cadat: hæc virga ſunt, & baculus, quæ conſolantur, neque ſpiritus triſtis expellitur, niſi in tuorum eloquiorum meditatione; deliciæ cordis eloquia tua ſunt, quorum vſus faſtidium non generat, ſed tollit: tantòque auidius amantur, quantò frequentius meditantur; quid mirum, ſi dormio miſer ſpiritualibus, & temporalibus vigilo? mandata tua non frequens reuoluo, & in præceptis tuis non eſt meditatio mea; concupiſcentiæ iactor fluctibus, & huc, illucque fluctuor, & circumcurſor; affectibus terrenis quatior, & tribulationibus preſſus vileſco, & non audeo cæli iter arripere; domine tu vides, operi manuum tuarum porrige dexterã tuã, miſericordiam tuam ſic notam fac, vt

exal-

Digitized by Google

exaltem eam, dulceſcant eloquia tua gutturi meo ſuper mel,& fauum, pronuntiet lingua mea eloquium tuum, non glutiat ea, illa meditetur, & loquatur, vt tandem eorum dulcedine, & ſapore repleatur cor meũ, & ſpiritus meus, qui langueſcit, viuificetur; cœli arripiat iter, & in eo exultet, nec difficultates extimeſcat: tu enim domine confortas eos, & verus panis ſubcinericius in itinere paſcis nos: viã hanc prior ingreſſus es, & in ea greſſus tuos poſuiſti, vt ſequamur te oues paſcuæ tuæ; ſed proh dolor; quid hæc meditor, & recogito vilis peccator, & peccatorum fęces non deſero, quomodò viam hanc aggrediar peccatis onuſtus, & concupiſcentijs, affectibuſque fractus, affectus, quibus mouetur anima, quò me pertrahunt, niſi ad gehennam, & à Deo meo diuidunt me; immuta domine cor meum: potens es enim, ſint gemitus mei, & lacrymæ meæ, ſed quia offendi te, Deus meus es tu, & nihilominus peccaui in te; dulcis Domine es, & ſuauis omnibus inuocantibus te: mihi aliquando appares amarus, quia nimium temporalia concupiſcit anima mea: & tu dif-
fers,

fers, vel negas ea, vt tandem videam, & intelligam, quia ad te creaſti nos: ego autem tùnc amaritudinibus repletus luctam non audeo contra carnem meam, & debilitato ſpiritu agonizo, & quaſi morior, & ſecundum carnem viuo, & mortem iure timeo: tu autem Domine nè me repellas in finem, nè obliuiſcaris miſericordiarũ tuarum, quæ à ſæculo ſunt, & ignorantias meas nè memineris. Video Domine cor meũ, quomodò dureſcit, & aret, & adhùc expecto miſericordiam tuam, quaſi pluuiã voluntariam, quæ fluat ſuper cor meum, & concreſcat, vt ros ſuper viſcera mea, vt reddam iam fructum. O domina mater Domini mei, feneſtra cœli, et ſtella in hoc mari procelloſo nauigantibus, ſuccurre mihi, protege me à facie peccatorũ meorum, quæ afflixerunt me, præſidio tuo colligat vires cor meum, nè deficiat, ſed ad cœlum fortiter aſpiret. Amen.

CONSIDERATIO XXIII.

AMpliùs laua me, ſæpius laua me ab iniquitate mea, magis, magiſ-

que ablue; ex peccatis namque maculæ in animũ influunt; Vnde dicitur; Lauamini mundi eſtote; infixæ cordi hæ maculæ hærent, quæ autem ſunt Domine hę maculæ, niſi propenſio illa ad peccandum, quæ ex præteritis peccatis exiſtentiam trahit, animi infirmitas ad reſiſtendum, & carnis concupiſcentia impugnans animum, & in ſeruitutem pertrahens; huiuſmodi autem ſine particulari auxilio tuo comprimi nequeunt. Amplius ergo, ſæpius magis, ac magis laua me, munda me, qua autem aqua, niſi ea, de qua dicitur; qui biberit ex hac aqua, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam; aqua gratiæ tuę, naturam frequentiori lauacro nõ deſtruit, ſed perficit; Hinc Paulus exclamat; omnia poſſum in eo, qui me confortat: quomodo cõfortaris, & in quo euadis fortis? nonnè audis conquerentem de ſpiritu carnis, Angelo Satanæ, qui colaphizabat; & dominum confortantẽ, & dicentem; Sufficit tibi Paule gratia mea, & alibi; Gratia autem Dei ſum id, quod ſum; in gratia ergo lauatur, & confortatur, erat enim minimus Apoſtolorum; deinde vas electionis,

lo-

lotum vides, conualeſcebat,& confũdebat Iudæos; vide confortatum; Ecce Domine cor meum,laua illud;viſcera mea, munda illa; anima mea, ablue illam; Petro renuenti, vt lauares eum, dixiſti domine; ſi non lauero te,nõ habebis partem mecum; inde ille reſpondit; Non tantùm pedes meos,ſed manus, & caput; erat autem mundus Petrus; proinde non egebat, niſi vt pedes lauaret. Ego autem miſer immũdus, & peccator exclamo; Amplius laua me, caput meum,& corpus meũ; lauacrũ peto,& ſi dico audacter, parce domine;ſi enim non laueris me, nõ habebo partem tecum; quomodo autem viuam ſine te, quomodo ſubſiſtã, ſi aqua gratiæ tuæ non lauas me,non reficis me: ſi non reficis me Domine, deficio; ſi non confortas, ſuc cumbo, colluctatio enim, & congreſſus fortis, ego autem imbecillis, miſer factus ſum, & curuatus à facie peccatorum meorũ, ò ſalutaris aqua, quæ vires non extenuat, ſed accreſcit; animæ arentis, & deficientis cibus, & potus,quæ rerum temporalium extinguis ſitim, & ſpiritualium excitas, & accendis; animam lauas,& irrigas,vt

maculis lota euadat fortior, & irriga-ta fructus afferat; laua Domine, laua, irriga, perfunde, ſatia, ciba, pota animam meam criminū maculis fœdam, aridam, & ſiccam, famelicam, & inanem], ſitientem, & detentam laqueis rerum temporalium; ſed tu Domine veni, vt liberes me; tu enim inuitas ſitientes. Amen.

CONSIDERATIO XXIV.

AVditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabūt oſſa humiliata: non eſt enim pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum; redundant in corpus animi affectus, & tabeſcente anima mea ex dolore peccatorum meorum, corpus dolet, & præ triſtitia languet; Audiam ergo Domine vocem tuam, qua dicas condonata eſſe peccata mea, vt exultem in te Deo ſalutari meo; auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, nè tardet nuntius indulgentiæ tuæ, vt iubilet anima mea, & corpus meum refloreat, & confiteatur tibi: Auditui meo petij nuntium ſalutis, & ſi non auribus corporis, dic ſaltem animæ meæ,

ſa-

Digitized by Google

ſalus tua ego ſum; ſentiam interiori ſenſu, externo longè præſtantiori, ad cuius officium non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non ſpiramenta narium, non guſtus faucium, neque alius corporeus tactus accedit, lætitiã illam, quæ ex aduentu tuo in anima mea oritur, dùm auctor pacis pacem, & quietem præſtas, mitis, & ſuauis dulcedinem affers, & ſuauitatem; Audit anima mea vocem tuam,] qua dicis: Ego ſum; qui es auctor ſuauitatis, & pacis; inde in pace quieſcit, & canit, quoniam tu Domine ſuauis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te; lacrymæ peccatoris trahunt te, qui illis abes, longè enim à peccatoribus ſalus, & adueniente ſpiritu illo bonitatis cõturbatum cor, & pre formidine mortis gemens quieſcit, anguſtia ſpiritus dilatatur, & amaritudo vertitur in gaudium. Nuntius bonus de terra longinqua tu ipſe venis, potus aquæ animæ ſitienti; lacrymæ enim potauerũt te ſitientem peccatores, & eſurientem; ò felix anima, quæ ore tuo audire meretur indulgentiam peccatorum; ò dulcedo ineffabilis; ò vox, quæ cor reples dul-
 cedi-
Digitized by Google

cedine, & hominem ponis in cœlo, quod eſt gratia Dei, cęptum gloriæ pignus; ſed quò percurro miſer adhùc non deſerens fecem peccatorũ, quomodò dicam fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, quando pro temporalibus contriſtot nimis, & minimè plango peccata mea, quibus irã tuam merui; quæ erit pax mea, ſi tu à me abes dominus pacis? quæ erit ſalus mea, ſi tu Deus Saluator meus elongas te à me? quid faciam miſer? dicam tibi, parum domine fleui, & multum peccaui; tu autem non peccaſti, & quaſi peccator in cruce pro me pependiſti, & ſanguinem pro lacrymis vberrimè fudiſti; miſerere mei ergo Deus, & ſalua me. Amen.

CONSIDERATIO XXV.

DIſcite à me, quia mitis ſum, & inuenietis requiem animabus veſtris: Quæ enim eſt requies animæ, niſi continuus cum paſſionibus conflictus, quæ ſæpius vincunt, & trahũt hominem ad vindictam, & odium exercendum? diſcat ergo anima à te, quòd mitis es, & parcens nimis, pro-

prium

prium tuum, miſericordiam exercere, miſereris omnium, quia omnia potes, paſſioni nulli cedis, nec affectui ſuccumbis· patiens, quia fortis, neque iraſceris per ſingulos dies, infirmus autem homo paſſionem ſuam plenè reuincere non poteſt, eique cedit ſæpius, & tanquàm ægrotus non conſiſtit, ſed vagatur quoties miſer à paſſione, & affectu iræ vincor, & ſuperor, & hanc infirmitatem fortitudinē exiſtimo, & ſufferentiam dico imbecillitatem: doce me Domine, quod ſit tibi miſericordia, quia poteſtas eſt, miſereris, & ſuffers peccatorem, quia fortitudine, & poteſtate præſtas; mitis es, & benignus, quia omnipotens; fortis, & potens, inde miſericors, & parcens: In quacumque die inuocauero te; ecce cognoui, quoniā Deus meus es; in ditione tua cuncta ſunt poſita; omnia quæcumqne voluit, Dominus fecit; omnia potes, & ex hoc exaudis, & non repellis peccatorem, mitis, parcens, miſericors, clemens, benignus, & præſtabilis ſuper malitia, quia fortis, omnipotens Dominus omniū da mihi intellectum, vt diſcam, quia mitis es, & humilis corde, & quieſcam,

reuincam Domine impulſus paſſionũ mearum, accedam ad te, vt iactari deſinam, & animæ meæ inueniam requiem; Quomodò autem veniã; niſi trahas me, funiculis illis, vinculis illis amoris, & charitatis trahe me, quis non requieſcet amore tuo vinctus, & alligatus? beati nexus, qui Creatorem, et creaturam ſimul dulciter ligant, vt Creator in creatura, et creatura in Creatore maneat: ò felix quies, quæ iugum ſuaue, & onus reddit leue; in te enim Domine ſpernit anima inſurgentes in eam inimicos, & à te ſibi cõmunicata manſuetudine, euadit fortis, & patiens, paſſioneſque debellat, indeque exclamat; Dominus fortitudo mea, & ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem.

CONSIDERATIO XXVI.

QVi cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum, Deus dereliquit eum, comprehendite, & perſequimini eum, quia non eſt, qui eripiat: Quid dicam ego miſer, & infirmus, ſi Dauid Rex fortis, & validus exclamabat tamen timore perterri-

tus;

tus; Deus nè elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice; inimici mei animam meam circumdederunt, & tentationibus continuis ad peccatũ pertrahere conantur, etenim qui peccando elongant ſe à te, peribũt; tu autem Domine nè longè facias miſerationes tuas à me; miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me, ſi enim derelinquis me, qui erit ſtatus meus, niſi perditionis, & mortis? Deus tu conuerſus viuificabis me, nè dereliquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus; infirmitatem meam video, & aduerſariorum validitatem; ego verò in te ſperabo, quia tu adiutor fortis.

CONSIDERATIO XXVII.

NIſi cõuerſi fueritis, gladium ſuũ vibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum: quomodò tardas Domine verè pius, verè miſericors, antequàm caſtiges peccatorem? ira eſt in indignatione tua, ad momentum ſcilicèt indignaris, & iraſceris; dùm ergo tardas, exardeſcit in breui ira tua, & vita cum ſis, non vis mortem pecca-

toris, ſed vt conuertatur, & viuat; gladium vibras, arcum tendis, & paras, non vt ferias, & occidas, ſed vt præparationem vltionis videas peccator, extimeſcat, & ad te veniat; à quo iam diſceſſerat; Quando autem miſereris, vt parcas, in auditu auris, & promptè venis; audiuit dominus, & miſertus eſt mei, dominus factus eſt adiutor meus: Quis hæc reſpondens, exclamet; Benedictus Deus, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis? ò me miſerum, qui toties peccando prouocaui, & quaſi laceſſiui iram tuam, concepi dolorem, & peperi iniquitatem; miſericordia autem tua, quæ eſt brachium tuum, in quo facit potentiam, dextera tua, in qua facis virtutem, vibratum gladium, & quem tetenderas arcum detinuit, nè occideres me, & à facie tua proijceres me, memor domine, quia in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea; inde ſic concepi, & ſic partus peperi, verè filius Adam, nimirùm ſi infecta per generationis, & originis vitium natura peccata alia proferat, & germinet, tecum loquar dulciſſime Pater, & Deus

vitæ

vitæ meæ, etſi audacter nimis, parce, quia tu es dominus Deus meus, ſi peccatum primi parentis vnum fuit, & tamen ex eo tanquàm ex radice, ac ſtirpe multa prodeunt, atque naſcuntur, quid mirum ſi peccata mea, quæ multa ſunt, & magna, alia concipiunt, & pariunt; ſupplex rogo te, vt clementer agas mecum, & non tàm admiſſorum peccatorum, quàm infirmitatis meæ habita ratione, relaxa arcũ, vagina gladium, & extende brachia, quæ in cruce extendiſti, vocans peccatorem; ſub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, meorũ nempè peccatorum, quæ me afflixerunt; ecce nunc Domine tempus acceptabile, ecce dies ſalutis, commiſſa mea paueſco, & ante te erubeſco, ſed tamen venio ad te, quoties gratia tua exuberante vocaſti me, & in vacuum gratiã tuã accepi, fateor, & confundor nimis, tempus miſerendi mihi, quia venit tempus, exclamo miſericordia tua in æternũ, benignitas tua in æternum ædificatur in cœlis: parce mihi Domine, parce maximo peccatori.

CONSIDERATIO XXVIII.

QVoties exacerbauerunt eum in deſerto, pro beneficijs iniurias rependentes, quoties crucifixerunt eum, quia diuinorum beneficiorum memoria ab illorum animis exulabat; quid faciam miſer? quid dicam? quomodò Deo benefactori meo pro collatis in me beneficijs correſpondeo; memorare anima mea donatorem Deum eſſe beneficiorum, ſed etiã obſequiorum exactorem, extimeſce propter ingratitudinem tuã, ſcitote quoniã dominus ipſe eſt Deus benefactor, & iudex; time iudicem, quem non amaſti benefactorem; quoties contentioſè aduerſus eum egiſti? iuſſis diuinis reluctatus es, irritaſti Dominum, & prouocaſti, quomodò? niſi peccando, timor, & tremor veniat ſuper me, quia dùm exacerbaui dominum peccator, video te ſecundũ multitudinem iræ tuæ non quærentem; quis non ſuſtinebit domine, ſi iniquitates obſeruaueris? auerte faciem tuã à peccatis meis, & reſpice in me, vt miſerearis mei; delicta mea ſunt, &

pec-

peccata, ego autem tuus ſum, ne perdas me cum peccatis meis, ſed dele iſta, & ſaluum me fac; quomodo facies, niſi in miſericordia tua, non confundar, quoniam inuocaui te; dicitur enim, inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adſum; & iterum; clamabit, & ego exaudiam eum, eripiam, & glorificabo eum; vnde eripies? à tentatione namque, ſicut ſcriptum eſt, in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum, murum illum concupiſcentiarum, & affectuum, quæ ſeptum me tenent, & circumdatum; tu protector omnium ſperantium in te; ſit ſpei meæ fructus facere bonitatem, vt inhabitem terram; & paſcar in delicijs eius: futuram dico terram, quam inquirimus, patriam illam cæleſtem, vbi tu inhabitas, qui es omnium deliciarum fons, & origo, vt dicam ſemper; Beatus homo, qui ſperat in te.

CONSIDERATIO XXIX.

EFfundite coram illo corda veſtra omnis congregatio populi; ſperãtes in eo omni tempore, ſemper enim

pius,

pius, & clemens eſt, effundite, in pœnitentia perfecta; maximo cordis dolore, vt foras effundatur per dolorẽ, & gemitum: ille enim dixit; in quacũque hora ingemuerit peccator, peccati eius non recordabor amplius; quid faciam ego miſer; cuius cor coagulatum eſt, & obdureſcit, quomodo effũdetur; cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me, quia peccaui nimis; tu autẽ Domine adiutor noſter in æternum; effũdo in conſpectu tuo orationem meã, & tribulationem meam ante te ipſum pronuncio; quæ eſt tribulatio mea; niſi quia non plango pro peccatis meis, & ſuper ipſis non doleo: oro autem, vt cor mundum crees in me, & ſpiritum rectum innoues in viſceribus meis, vt ſic ad perfectam pœnitentiam perducas me, infirmitatem meam, tribulationes, & deſideria mea, vniuerſamque voluntatem meam effundo in conſpectu tuo; ſit voluntas mea in lege tua, & in ea meditetur, vt in voluntate tua deducas me, & cum gloria ſuſcipias me; ſint ante te deſideria mea, & quæ conſpectu tuo non ſunt digna, deleantur Domine, eradicentur

tur à fortitudine manus tuæ, ne pullulent amplius tribulationes, vide Domine Deus meus, vt ex illis eripias me; infirmitatem conſidera, vt memorata quæ mea ſubſtantia, mihi parcas, & indulgeas, & ſic dicã: Deus meus, adiutor meus, Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.

CONSIDERATIO XXX.

ET inuoca me in die tribulationis: Quare Domine inuitas me, vt afflictus, & in ærumnis veniam ad te, niſi quia officina vniuerſalis remediorum tu es; tu dixiſti; Veni oſtendam tibi omne bonum, in te enim, tanquã in ſuo fonte, ſunt omnia bona abundantius, quam in oceano aquæ; mala quoque, tribulationes, & anguſtiæ, vniuerſaque pœnarum genera à tua in nos voluntate deriuant; dicitur nãque; ſi eſt malũ in ciuitate, quod nõ fecerit Dominus? mala ergo, & remedia in manu tua ſunt, quia tu Deus, & dominus vniuerſorum; dùm ergo tribulor, velociter exaudi me, benè ſcio Domine, quod aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate,

&

& ſi quando caſtigas, non eſt ad mortem; inde dicitur; caſtigans caſtigauit me dominus, & morti non tradidit me; & ſi quando in tribulatione mea inuocaui te, non exaudiſti me, mea culpa eſt, fateor Domine, & inuoco miſericordiam tuam, vt dimittas mihi; non enim veni ad te, ſed ad remedia temporalia confugiebam, & ſi quando veniebam, id erat poſt hominum implorata præſidia, nec plenè confidens in tua miſericordia, & bonitate: tu autem admirabilis in miſericordia, bonitatem fac cum ſeruo tuo Domine; paratum ſit cor meum ſperare in te, vt confirmetur, & ſi in anguſtijs, & tribulationibus validum, & forte, nec ab amore tuo ſeparetur, vt poſſim dicere: Quis nos, ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? Dic animæ meæ, de quacumque tribulatione clamaueris ad me, exaudiam te, & ero dominus tuus in æternum; amem te etiam non exaudientem me, aliàs non te, ſed bona tua detegar amare, ſis tu portio mea in terra viuentium, tu pars hæreditatis meæ, ſicùt beneficia conferas, ſiue caſtiges, dummodò mecum ſis, diligam te, & ſi elon-

elongaueris te à me, adhùc diligam te, quia tu es Creator meus, Redemptor, & conſeruator meus; exclamet in tribulatione anima mea, & in ærumnis, & afflictionibus eleuet vocem ſuam, & dicat: ad te Domine leuaui animã meam, quia tu Deus, & dominus omnium, vt tu eruas me, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculũ ſæculi. Amen.

CONSIDERATIO XXXI.

TRibulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum: Videam, Domine, miſerum ſtatũ peccatoris, vt ſuper eo plangam, & lugeam; habitant in eo omnes ſocij eius, qui non eſt, dæmonum turba circumdat illum; de ipſis enim dicitur, quod ſint, quia à ſummo eſſe receſſerunt; ſocij autem illorum, tribulationes, anxietates, rabies, inquies continua, quæ mentem, & cor lacerant, pũgunt animam, totumque peccatorem vexant, nec ſiſtere ſinunt; erubeſcentia, & tumultuatio inuadit eos, laniatus, & ictus patitur, & perpetuam ſentit irrefragabilem accuſationem, & conſciẽtiam

tiam dico, quæ decipi, & deceptionem ferre nunquam poteſt; ipſa incorrupti iudicis vices tenet, & intrinſecus habentes eam, ab illa deliteſcere nequaquàm poſſumus; circumuenit, conturbat, laniat, flagellat, nec quieſcit; vera, atque incorrupta pœnarum, præmiorumque arbitra; cogitationes mouet accuſantes, quæ peccatoribus abſentiam à Deo, in qua ſtant, demõſtrent; ipſimet ſibi concipiunt dolores, dum pariunt iniquitatem, in eorũ anima foueas habent Ericij, peccata namque, quæ ſpinis, & rhamnis fortiter pungentibus eam lacerant, ſemperque magis, ac magis, dum augeſcunt, dumque per varios cruciatus, quaſi ſaucia currit, vbi quieſcat, non inuenit, quęrit in bonis temporalibus quietem, ſed decipitur, & anxiatur adhuc: oculi autem mei ad te ſunt Domine, vt eripias me, Domine ad adiuuandum me reſpice; vide humilitatẽ meam, & laborem meum; tu enim laborem, & dolorem conſideras, quia benignus, & miſericors es; tu vocas laborantes, oneratos, vt eos reficias; & ecce ego venio ad te, ad auctorem quietis, & pacis, adueniente te quie-

ſcunt

ſcunt fluctus furentis maris conſcientiæ meæ, & tunc anima mea exclamabit, & dicet; confiteātur Domino miſericordiæ eius.

CONSIDERATIO XXXII.

ET erit firmamentum in terra in ſummis montium ſuperextolletur fructus eius: hoc firmamentum Domine, quod ponis in terra, tu idem ipſe es ſub ſpeciebus panis; inde dicitur; Et erit pugillus frumenti in capitibus ſacerdotum, firmamentum eſt Dominus omnibus timentibus eum, dicat anima mea guſtantibus eũ; quis timebit huic innixus firmamento, quādo dicitur panem Angelorũ, quod eſt, panem fortium, panem robuſtorũ manducauit homo: conuertentur ſedentes in vmbra eius, viuent tritico, confortabuntur frumento; vmbra tua Domine nequàquam inanis, & vacua, ſed vitalis, & ſtrenua; ſceptrum eſt enim, in vmbra tua viuemus in gentibus: vmbra tua caro fuit, quæ noſtrarum æſtus refrigerauit cupiditatum, quæ compeſcuit inſolentiam vitiorũ, quę auaritiæ, diuerſarumque paſſionũ in-

incendia temperauit: rurſus dicitur; & in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas; tu vocaſti Domine firmamentum cælum; in terra ergo cælum ponis, quando te ipſum das ſub ſpeciebus panis; dum ergo venio, & recipio te, in cœlo collocor, eiuſque diuitijs fruor; dicitur per Prophetam; Cœlum cœli Domino, terrã autem dedit filijs hominum, ego autem dico audacter: Cœlum cœli das filijs hominum, imò cœli auctorem; quid mirum, ſi dum tali frumento paſcitur anima, euadit fortis, nec hoſtium conflictus expaueſcit, ſato in anima frumento, quod es tu, ſuperextolletur ſuper Libanũ fructus eius, & quæ prius anima erat ſterilis, & areſcebat, dicebatque gemebunda: aruit tãquam teſta virtus mea, adueniente auctore gratiæ, floreſcit, & fructum affert: ego; qui peccaui, ego qui iniquè egi, ad te confugio, & exclamo; Dominus firmamentum meum, turris fortitudinis à facie inimici perſequentis, refugium meum in die tribulationis.

CON-

CONSIDERATIO XXXIII.

QVid vis, vt faciam tibi? Quanta eſt miſeratio tua Domine, quā-ta dignatio tua; quæris, cum ſis Dominus, vt ſerui facias volunta-tem, conſcius, quòd viſum eſſet po-ſtulaturus; lumen cum ſis, libenter il-luminas, ego miſer cæcus ambulo in tenebris, quid aliud petam, niſi vt vi-deam, vt videam miſericordiam tuā, & peruerſitatem meam; Dominus il-luminatio mea, quem timebo; dicat ibi anima mea, dicat ſeruus ad Do-minum; quid me vis facere? ſic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri, & fieri voluntatem; ſic abijciam Domi-ne propriam voluntatem; vt ne ipſum quidem cor proprium habeam; quid tu velis, omni hora requiram, ſine in-termiſſione dicam; Quid me vis face-re? in lege tua ſit voluntas mea; repe-tam frequenter, loquere Domine, quia audit ſeruus tuus: lex tua voluntas tua meditatio mea ſit. Vt autem faciam, quod tu vis, doce me facere volunta-tem tuam, quia tu Dominus, & magi-

ſter

ſter es, quando autem doces, vires
prębes,& Deus ſaluator meus es,ideo-
que ſalutem meam deſideras,video,&
triſtis ſum nimis, quòd parui feci vo-
luntatem tuam, vt propriæ obtempe-
rarem: ego miſer ſum, qui non inté-
di tibi,neque volui te,nec obediui ver-
bo tuo, ideoque iuſtè dimiſiſti me ſe-
cundùm deſideria cordis mei,quæ me
diſtraxerunt per varia temporalia, &
abſtraxerunt à te, ad te nihilominus
tanquàm ad perennem miſericordiæ
fontem recurro, & proiecta volunta-
te mea ante pedes tuos fiducialiter di-
co; Domine quid me vis facere? lo-
quere domine,quia audit ſeruus tuus;
imperium non expecto, ſed nutus tu-
us lex mihi erit,voluntate tua flector,
nec expecto poteſtatem:audio,& obe-
dio nunc: nec differo in futurum,quis
opus hoc eſt miſer icordiæ tuæ, quæ
ante oculos meos eſt: ſic ſiat Domine,
vt dicam: in voluntate tua deduxiſti
me, & cum gloria ſuſcepiſti me.
Amen.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO XXXIV.

QVoniam ego in flagella paratus ſum: Hoc peto Domine, vt ex corde dicam, vt videns tu pater miſericordiarum ſeruulum tuum peccata propria confitentem; & vltrò ſe pœnę offerentem, inflectaris, & ignoſcas, nec erubeſco ſpontaneum me offerre flagellis iniquus, & peccator, ſi non erubuit amicus, & Propheta tuus, à te Rex electus, doce me conſiderare peccata mea ad deteſtandū ea, quando peccatum ipſius peccati congnitione curatur, & crimen criminis confeſſione aboletur: nec ſit conſideratio breuis, & ſuperficialis confeſſio; ſed recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; faciam recogitando, quod reparando non poſſum ad ſanitatem animæ meæ conſiderem ea; amaritudo mea ſit amariſſima, quia peccaui, & iniquè egi in conſpectu tuo, vt tu proijcias poſt tergum tuum omnes iniquitates meas: ſi non viderem domine corpus tuum flagellis cæſum pro me, quaſi deſperatam de ſalute mea, quia onus graue peccato-

rum

rum meorum grauatum eſt ſuper me; ſed conſidero te offerentem tergum, totumque corpus Patri, & dicentem; Ecce ego in flagella paratus ſum; neq; pro te offers, vt flagelleris, quia peccatum non feciſti, nec dolus inuentus eſt in ore tuo, ſed pro me liuores illi, rubor, & verecundia tua, dum flagellis cæderis, & nudus manes, diuinam inuocent miſericordiam pro me; flagellatus in corde meo ſis, vt ſi quando flagellor ego, diuinam me irritante iuſtitiam, feram patienter, & dicam; nunquid maior ſeruus domino ſuo? ſi innocens Deus, & dominus affligitur, quare non ego ſeruus, & peccator? priùs vulneribus locus defuit, quã ceſſiſſent vulnera; inde dicitur: vulnus & liuor, & plaga tumens, à planta pedis, vſque ad verticem capitis non eſt eo ſanitas; vulnus potius, quàm corpus vulneratum, ſemperque Patri te offers, & dicis; Ecce in flagella paratus ſum; ò amor, ò miſericordia, quæ ingratitudo meæ poterit æquari, ſi te me flagellis onuſtum iterum flagello; ò longanimitas, ò ſufferentia verè diuina, qua me peccantem quotidie; & non pœnitentem ſuſtines, lucem mit-

tis

tis tuæ gratiæ excitantis, & adhuc ambulo in tenebris; vbi fletus domine, vbi lachrymæ pro tot, tantiſque peccatis? vbi concupiſcentiarum moderatio, & paſſionum conculcatio? vbi promptitudo ad flagella? vbi charitas, & amor erga te, qui Deus meus es, & Saluator: ò cordis durities, quæ non alia manu molliri poterit, niſi tua; quomodo autem tanges illud tam immundum, etiam domine, quia non abhorres peccatores, ſi non doleo, ſi nō plango; cupiam fletum, & dolorem, ſi abeſt deſiderium doleam, ſaltem huius deſiderij defectum; quis autem de petra cordis mei educet aquam lachrymarum, niſi tu, qui educis de petra tanquam flumina aquas, nec apponam adhuc peccare tibi, nè te excelſum iterum excitem in iram: contritum, & humiliatum ſit cor meū, vt tu in eo habites, & quæ fuit habitatio deſerta, cœlum fiat: Parce domine, ſi auſus ſum nimis, quia tecum loquor, qui in altis habitas, & humilia reſpicis. Amen.

L *CON-*
Digitized by Google

CONSIDERATIO XXXV.

PAter in manus tuas cõmendo ſpiritum meũ: Quorſùm Domine ſpiritum tuũ in manus cõmendabas Patris, qui paterno ſemper tenebaris, & fouebaris amplexu? ſpiritum tuum ſeruos tuos vocas, & in eo omnes homines apud Patrem deponis, ac commendas, pro te, & in te viuificandos: ò charitas, ò benignitas, ò ineffabilis dulcedo Saluatoris, dum in agone ſtas, & pœnarum tuarũ procellæ, & fluctus irruunt in te, & ſuper te tranſeunt, de creaturis cogitas, & quod mirabilius eſt, de me, quem videbas totiès offenſurum te, neque enim deſpero, quòd viuificaturus ſis me, quãuis adhuc iniquum, & peccatorem: nè quæſò domine mortuus remaneã, & in peccatis, ſed viuifica me ſecundùm verbum tuũ; quomodo autem viuificabis me? niſi ſpiritu tuo, vt de Spiritu ſancto viuam, & ſi ſecundùm carnem vixi, ſpiritu tuo actus in poſterum carnis facta mortificem, vt verè viuam, & ſpiritus tuus vocer; ò dignitas, ò nobilitas viuentis iuſtè, vt nõ

ſolùm

ſolùm filius Dei nominetur,& ſit, ſed anima Chriſti, ſpiritus Redemptoris; audacter dicam; anima Dei Chriſtus eſt,anima autẽ Chriſti iuſtus eſt;ò myſtica Hieruſalem anima fidelis, quæ in fide benè operaris,& cursũ vitæ benè operando felicitèr exples, tu vocaris anima dilecta domini Saluatoris,& diuinæ conſors efficeris naturæ, inde dicitur;Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectã, propter nomen tuum domine viuificabis me; ſed quare ego miſer hæc tractare,& cogitare audeo? ò immenſitas benignitatis, & miſericordiæ domini Dei mei; cæleſtes illi Spiritus, & Angelicæ Hierarchiæ tibi proximè cohærentes tremunt ante te, ego autẽ vermiculus,& peccator immundus,inter iuſtos tamen connumerari, & à te iuſtificandus confidens dixi; ſed parce domine, qui dum in cruce moriens expiras, naturam humanã Deo Patri tuo reconciliatam offers; ò felix cõmendatio, quam cum hoſtia ſanguinis tui, ò bone Ieſu, eidem Patri cõmmendaſti, quis deſperet, & ſi peccator, & iniquus, ſi tamen ab iniquitatibus, & peccatis elonget ſe, ad proportionem feſtinet: quod es tu, ò dulcis,ò pie Ieſu.

CONSIDERATIO. XXXVI.

QVoniam tu illuminas lucernam meam domine; accendis nãq; lucé fidei in capite meo, vbi viget potiſſimum lux rationis, quaſi oleum capiti meo infundis, ac fidei lumen acuis, illuſtras, & exornas, & illuminato fidei oculo, bonorum operũ exercitium exigis, & inducis ad illud, reiteratis clamas vocibus; Conuertimini ad me in toto corde veſtro; diuina tua myſteria conſideranda proponis, ea præcipuè, quæ in paſſione, & morte Domini mei Ieſu Chriſti præfulgent, lucem fidei acuens, & expurgans; ò ſumma bonitas Creatoris, qui non dedignaris lucernæ meæ, intellectus mei purificare lumen; Apoſtolus exclamat; Sapientia in myſterio abſcondita, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit; quis enim intelliget qualis tua, ò Deus, bonitas, qualis, dignatio, claritatis, qui vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti, qualis malitia peccati, quæ ſine diuino ſanguine plenè non potuit expiari, quid in anima mea ipſum peccatum operabitur, cuius

ius imago à Dei filio aſſumpta ſplendoré gloriæ obtexit; Dei fœdauit pulchritudinem, fortitudinem ipſam infirmauit, virtutem deiecit, vitam interemit: quid facere teneor Domine in tanti beneficij recompenſationem, quàm horréda mea eſt ingratitudo; & perpetuis deflenda lachrymis, dũ in vitijs, & peccatis meis iterũ crucifigo te, qui vt me à perpetua morte redimeres crucis mortem pati non recuſaſti; huic conſiderationi immorari cupio, vt cor meum accendatur, & diligam te Dominũ meũ, benefactorem meum; ne permittas, Domine, adhuc mentem meã tenebreſcere ad ſpiritualia, & solùm recipere temporalia, illumina Deus meus tenebras meas, oleo miſericordiæ tuæ inpingua caput meum, peccata mea, & iniquitates dele, claritatis tuę lumine fuga noctẽ peccatorũ meorũ, illuſtra faciem tuam ſuper ſeruũ tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua, non confundar domine, quoniam inuocaui te. Amen.

CONSIDERATIO. XXXVI.

EXultabimus, & delectabimur in te, memores vberum tuorum: ò verè beati, qui hanc lactant mãmillam; tu enim domine, qui dilectus noſter, & alitor es, effudiſti pro nobis ſanguinem tuum, per quem in Deũ credimus; ad mãmillam Patris, quæ curarum obliuionem inducit, nẽpè Verbum, confugimus, lac noſtrũ tu Chriſtus es, quãdo ſanguine tuo paſcis nos. Inde dum inuitaris anima ad ſacrum hoc conuiuiũ, vt cõſoleris, & gaudeas, infantis puritas exigitur, & deſideriũ ardens, vti accurrentis ad mammillã, & lac, vt ſugaris, & repleamini ab vbere conſolationis veſtræ, & iterum dicitur, quaſi modò geniti infantes, rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite, ex maternis ſuſpenſi vberibus, totius malitię expertes, ſic qui epularis ad hanc menſam, ea oportet eſſe mũditia, vt ipſius quoque animæ extremas imagines habeat purgatas, hoc eſt filij tui ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu menſæ tuæ, accumbentes namque huic menſæ non ſint infructuoſę ſalices,

ces, ſed arbores fructũ habentes maturũ, nulla ſit in eis ariditas ex vetuſtate, ſed nouellæ ſint, viridiores, ac fortiores fructũ copioſius afferentes, tunc delectaberis, tunc dices; Exultabimus, & delectabimur in te, quare autem ego miſer in tali conuiuio non exulto? niſi quia concupiſcentiarum huius ſæculi accedo plenus, non lotis pedibus, affectibus ſcilicèt terræ adhęrentibus, nec famelicus, & ſitiens, quia ſatis plenum eſt cor inanibus, non nutrientibus, ſed ſatis grauantibus cibis: auidus currit infans ad vbera matris, non enim alios cibos cognoſcit, frigigidus ego (proh dolor) accedo ad te dulcis Ieſu qui ſemper vbera prõpta, tenes, vt paſcas me, quia alia quæro fercula, quæ tamen nunquam ſatiabunt me, vſquequò ero graui corde? vſquequò diligam vanitate? & quærã mendaciũ? Videam domine, quæ huius ſunt ſæculi, vmbras eſſe prætereũtes, vt autem videam: emitte lucem tuam, & veritaté tuã, quæ huius mundi médacia fugiet, & veritate cor meũ repleatur: Inde domine amem te, & exulté in te, reperam, quaſi ceruus ſitiens aquas, ſic anima mea à te Deus

concupiſcit; vnde exultabit cor meũ, et caro mea in Deũ viuũ; diligam te, quia Deum amans anima reuerà in cœlum à terris emicat, ſumptiſque alis ſublimia petit, & nimirum, quia tu quaſi aquila prouocas eam ad volandum, et ſuper eam volitas; ò dulcedo Saluatoris, ò dignitas animæ, volat Deus ſuper te, vt tu voles, volitat, vt volatũ addiſcas, alta petas, et humilia deſeras; quid ergo tibi eſt anima mea cum inferioribus terræ? quare anxiaris, vt acquiras ea? ſurge, quare obdormis, alæ tibi præſto ſunt, et Deus tuus volitat ſuper te, vola, et requieſces.

CONSIDERATIO XXXVIII.

SAluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus. Veraces homines, qui non fallant, & ſimulent, defecerunt; perijt Sanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum venatur ad mortem: vndique ergo Domine cinctus à malis ruam miſerabiliter, niſi à fortitudine tua ſuſtentatus miſericorditer emergam: vide Do-

mine miſerator, & miſericors, nedum homines malos aduerſum me irruentes, ſed peccata mea, quæ pœnè tranſierunt in conſuetudinem contra me bellantia, & dimicantia fortiter, vt ad æternum ignem pertrahant me, & à te elonger in ſæcula; Quid ergo faciam miſer, ſi non adiuuas, & dexteram porrigis? tu ſcis Domine, cui eſt nihil occultum, quòd inter malos, quaſi inuitus incedo, hoc ſtatu meo requirente, neque te latet receſſum meũ ab eis difficilem, ac pœnè impoſſibilem, ſaltem non cõmunicem cũ electis eorũ, non veſcar delicijs eorum, illorum nè ſequar mores, & proſperitatibus non inuideam; euadam ab eorum continuo congreſſu ſic purus, vt poſſim dicere; Singulariter ſum ego, donec trãſeam; non enim ſolitudo facit ſolum; ſed mens ſi amore tuo teneatur, ſpiritus, & anima mea tendant ad te, & tecum ſint, ſic enim roborabor, & euadam fortis; dextera tua, miſericordia tua tenet me, nè cadam præceps; laqueum enim parauerũt pedibus meis, vt incuruent animam meã, nonnè laquei ſunt homines mali, inter quos viuere oportet, ſed non timebo mala,
 ſi

ſi eris mecũ, ſint ad te oculi mei, quoniã tu euelles de laqueo pedes meos; affectus mei, quaſi fluctus maris conturbantur, & ſonant, & ventis tentationum impellentibus malis hominibus, qui agunt iniquè, vt perdant me; neque ſubſtantiá mea ænea eſt, tu autem Domine veni ad me, eſto in adiutorium meum; te enim adueniente, quaſi ſpiritu auræ tenuis ſilebunt fluctus, & cogitationes meæ torquentes cor meũ, quieſcenti & conquieſcente ſpiritu in te eripiar à tentatione, & hominum malorum multitudinem, quaſi fortem murum in Deo meo tranſgrediar; Deus nè elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice; quoties eneruitèr viuo, quaſi diffuſus, quia in medio ſæculi huius ambulo, vndique ſeptus tentationibus. Tu ſcis Domine, tu vides, nè deficias, & tu miſereris, qui diues es in miſericordia, in ſemitis iſtis, & difficilioribus vijs deduc me, timorem expelle, vt intret amor, quia ſi ſemel amauero te, robuſtum erit, & forte cor meum. Amen.

DEO GRATIAS.

LIBER QVARTVS.

Conſideratio Prima.

LAzarus amicus noſter dormit; eamus, & à ſomno excitamus eum. Cur Domine nõ à morte ad vitam, ſed à ſomno ad vigiliam dicitur euocatus? niſi vt potentiæ tuæ vis, & in agendo facilitas demonſtretur; tibi enim dormiebat Lazarus, qui hominibus erat mortuus, qui illum non poterant ſuſcitare: nàm Dominus tanta eum facilitate excitabat de ſepulcro, quanta homo excitat dormientem de lecto: ſi ergo corporaliter mortuũ, & quatriduanum tàm facile reddis viuum? quis neget te ita, & ſpecialiter mortuum; et annoſum pecatorem eadem facilitate reſuſcitare: qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habi-

tant in ſepulchris; digito tuo eijcis dęmonia, et ſumma facilitate animam à peccatis liberas, et dæmones, qui illã obſederant, fugas: tu venis Domine ad Lazarum; ille enim mortuus accedere nequiuerat; veni ad me, quæſo, peccatorem mortuũ; ipſe namque venire, vtique non poſſum: ò miſericordia, ò benignitas Saluatoris, verè Pater miſericordiarũ, libera animã meã putredine peccatorũ, excita prægrandi voce tua, et ſic ſuſcita, vt ſequatur te ſpiritus meus, et anima mea: ego peccaui, tu autem ploras, quia me flentem non vides; ò benignitatis exceſſus; tu ſoluis me propriorũ peccatorum funibus conſtrictum, et ſolutũ præcipis abire, vt, quod tua ſit gratia opus meum dicatur, et fiat corona iuſtitiæ, quæ eſt tuæ miſerationis effectus: tu coronas in miſericordia, et miſerationibus; et nihilominus dicitur: Labores manuũ tuarũ, quia manducabis, beatus eris, et benè tibi erit, gloriã vocas fructũ manuũ hominũ, vt reddatur ſuauior, rectè dicatur, ſuauis Dominus vniuerſis, et miſerationes eius ſuper omnia opera eius: tu ſaluas hominem, et cũ homine gratia
tua

tua laborat, et tamen gloriā das, quaſi mercedem, et laborū fructū; inde diceris magnificus in ſanctitate, quod tu facis, tribuis nobis maxima tua magnificentia; verè benedictus in ſæcula. Amen.

CONSIDERATIO II.

TV ſcis improperiū meū, et reuerentiam meā, verecundiā meā, et ruborem: vnde Domine confuſio tua, rubor, et verecundia tua? niſi quia benignitate tua onuſtus intendebas peccatis meis, ante oculos æterni Patris tui ſiſtens, quaſi peccator, et reus mortis; inde dicis: confeſſio faciei meæ cooperuit me; et iterū; timor, et tremor venerunt ſuper me, et contexerunt me tenebræ: times, ò fortitudo Dei, à facie peccatorum, quæ tua non erant, ſed mea; quid ego faciam infirmus proprijs peccatis, et iniquitatibus grauatus, vt poſſim dicere, ſicut onus graue grauata ſunt ſuper me? Confunderis Domine ſic innocens, ſic ſcriptum ſit: Qui peccatū non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius; talis fuit verecundia, et rubor tuus, vt

vn-

vndique ſtilles guttas ſanguinis, mirrhæ guttæ exeunt ex corpore tuo non ferro præciſo, ſed calore charitatis aduſto, verè arbor cæleſtis, qui quaſi therebintus ramos extendis, vt peccatores protegas à peccatorum turbine, et tempeſtate, liquorem emittis ſanguinis tui, vt ſanes eos, et ab omni peccato emundes illos: quæ erit confuſio mea à facie tua, et qui rubor meus ex tot, tantiſque peccatis; execrabilis malitia mea eſt, quia multo ſudore ſudatū eſt, et non exiuit rubigo; lauaſti me in ſanguine tuo, et iterū inquinatus ſum, iterū, atque iterū pecco, conſidero te pro meis peccatis bis emanantem ſanguinem, neque ceſſas mortuus, ſed lancea vulneratus aquā emittis, et cruorem, vt laues me, et adhùc frigidus ſum, et cor meū areſcit; factum eſt cor tuū, tanquā cera liqueſcens igne amoris tui; inde globos emittis ſanguinis, quaſi cor ſtillatū, et nihilhominus cor meū coagulatum eſt, flāmas amoris non ſentio, et in effuſi ſanguinis tui pro me meditatione non efferueſcit cor igne amoris, vt lacrymas effundant oculi mei, quia peccaui in amantem Redēptorem, ò du-

durũ cor meũ, et lapideũ: auxiliare Domine, memorare ſanguinis tui miſericorditer fuſi pro me, nè indureſcat, ſed liquefiat amore tui, et ſanguis tuus ſemper ſit ante oculos mentis, et cordis mei, timor tuus, confuſio tua, omneſque pœnæ, quas libens aſſumpſiſti, meditatio mea ſint. Sic fiat. Amen.

CONSIDERATIO III.

CLamauit Ieſus voce magna, ſi quis ſitit, veniat ad me. Voce verè magna clamabas Domine, qui homines vocabas ad regna cœlorum, vt diſcamus, & nos magna orare, ea ſcilicèt, quæ æterna ſunt, non quæ caduca; homines vocas ad regna cœlorũ, ideòque clamas, quia temporalium rerũ ſonus, et ſtrepitus detinet nos, nè audiamus; ſatis imperfectè intelligimus, ideòque huius mundi gloriã per ſe ſatis exiguam, et abiectã, ingentem, et ſublimem arbitramur; imperfectis oculis grandeſcunt formæ, turbantur ſpecies, res falluntur ipſæ, quia non iam viſionem capiunt, ſed adhùc vmbrã ſuſtinent viſionis; ad vera nos bo-

na

na vocas, & clamas, vt tandem aliquando veniamus; clamat Propheta; filij inclyti, ad grandia creati, ad gratiam, & gloriam vocati, qui eſtis hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, vt quid diligitis vanitatem; & quæritis mendacium? Inde intellectum ſummis efflagitabat precibus; Intellectum da mihi, & viuam; da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & poſtquàm obtinuit, grates rependebat pro ſingulari mercede; Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: niſi enim lucem præbeas tuam, ab huius mundi figura detinemur, & ad tuas voces ſurdeſcimus, minimeque eleuamur ad cœleſtia; tu autem Domine Saluator, qui veneras ſaluum facere, quod perierat, clamas, vt veniamus ad te: ò magna bonitas, ò benignitas Redemptoris, ſitienti, offers aquam gratiæ tuæ; nos autem miſeri ſitim noſtram amamus, eamque temporalibus bonis explere nitimur, & decipimur, quia vmbræ ſunt; quis autem inquam ſatiabitur vmbris; Cũ clamas Domine; Emitte lucem, illumina oculos mentis, abſterge ſordes illius, quæ luci tuæ, nè intret, impedimento ſunt, vt audientes

vo-

vocē, videamus; videntes moueamur, & curramus, & in gratiæ tuę fonte perenni alacriter bibamus, cæleſtique potu refecti aſcendamus ad montem, qui es tu; aqua refectionis gratia tua eſt, ibi educas me, & animā meā conuertis, ſpirituque viuificas, vt corporis huius ſarcina grauatus aſcendere nihilominus valeam: aqua iſta oculos meos abſtergat, vt mundi imagines falſas videā, nè ampliùs ab eis illectus remaneā, & abſtractus; ſed ſtatim ad primas voces tuas ſurgam, & dicam: Domine quid me vis facere?

CONSIDERATIO IV.

Flat Domine in corde meo exæſtuans ignis non indignationis, ſed amoris, & charitatis: vratur igne amoris tui ſpiritus meus, exardeſcat anima mea videns, & intelligens; quòd pro meis peccatis has plagas suſcepiſti; pro meis ſceleribus hęc vulnera ſuſtinuiſti; quæ ſunt in corpore tuo vulnera, ò Deus Redemptor meus: ò Chriſte Saluator meus, non tua ſunt vulnera, qui ſanctus es, & innocens, ſed mea, qui peccaui, & iniquè

 geſ-

geſſi, ideo plus amare incipiam, poſtquam in tuo corpore vulnera recognoſco: excitem in me vehemens deſiderium patiendi pro te, qui tantum pro me paſſus es: dicam in tribulationibus meis, ego quidem iuſtè tribulor, nam digna factis recipio: tu autem Domine infirmitatem meam portaſti, & pro me doluiſti: in doloribus tuis, quos pro me, & à me tibi inflixos ſuſtinuiſti, non friguit amor tuus, quæ aquæ multę non extinxerunt charitatem, imò alia tormenta, & pœnas exquirens, exclamabas ſitio, neque mortuus accenſi amoris tui ſigna ceſſas dare, & copioſiùs ſanguis, & aqua emanarunt, vt lauares nos, & tamen pœnas peccatorum meorum luebas: quare ergo ego miſer, dum pro meis iniquitatibus affligor, ſum impatiens, & in amore tuo frigeſco, niſi quia dũ pecco, tu longê facis auxilium tuum à me, diſcedis à me verè ignis diuinus, & frigidus remaneo, quis erit ardens ſine te, quis fortis ſine te, qui es Dominus fortis, & potens? quis reſiſtet, dum tentatur, abſque te, qui es baculus, quo ſuſtentabantur omnes: plagæ tuæ, quas cœlo redemptionis meæ vexilla

xilla inferre voluiſti, cordi meo infigantur: & conſiderans charitaté tuã, ardeat cor meum amore tuo; repetam ſemper: quid ſunt plagæ iſtæ non in medio manuum, ſed in tóto corpore tuo?& reſpondeam: effectus ſunt peccatorum meorum; melius dicam, ſuccenſi amoris tui: diligam te Domine, quia tu amaſti me, doleam fortiter pro peccatis meis, quæ te Domine tã immaniter vulnerauerunt. Conſidera verba, & lacrymas vertant oculi mei; quid feci tibi? aut quid moleſtus fui? imò quid potui facere vineæ meæ, & non feci? quid mali feci, quod crucifigis me? aut quid boni deſij facere, vnde non ames me? exardeſcat in huiuſmodi meditatione cor meum, & exitus aquarum deducant oculi.

CONSIDERATIO. V.

FRatres obſecro vos per miſericordiam Dei, &c. Surge anima mea, nè dormites ampliùs: rogat Paulus, imò per Paulum rogat Deus, rogat omnipotens: rogat autem creaturam vilem, & infirmam, rogat amãs Deus, quia plus amari vult, quam timeri: non

non tam Dominus eſſe vult, quàm Pater; rogat Deus per miſericordiam, nè vindicet per rigorem: audi rogantem Dominum: Tota die, inquit, expandi manus meas: nonnè qui expandit manus, ipſo habitu rogat? expandit alas ſuas, atque portauit in humeris ſuis; inde Propheta exclamat: ſub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt: Expandi manus meas, ad quem? ad populum: ad quem populum? non tantùm non credentem, ſed contradicentem: ò dulcedo, ò bonitas: Extendis brachia ad me quotidie tuis vocationibus repugnantem; ò longanimitas Domini, & ſeruatoris: diſtendis membra, dilatas viſcera, pectus porrigis, ſinum offers, gremium pandis, vt patrem te tantæ obſecrationis demonſtrares affectu, grandi voce vocas; videte, videte in me corpus veſtrum, membra veſtra, veſtra viſcera, oſſa veſtra, veſtrum ſanguinem, & ſi quod Dei eſt, timetis, quare vel quod veſtrum eſt non amatis? Vt viſcera demonſtrares lutus tuum lancea perfodi permiſiſti, ò charitas, ò amor: venite ergo, redite, & vel ſic probate patrē,

quē

quẽ videris pro malis bona, pro iniurijs amorem, pro vulneribus tãtis tãtam reddere charitatem; Deus meus omnipotens, qui rogas me, vt exaltes me; ego autem terræ conglutinatus, & à peccatis meis curuatus vſque in finem, nec mandatis Domini obtempero; nec Patris exaudio præces, Deus rogat, & creatura obſiſtit: hæc recogita, & vlulatu magno plange ad Patrem, & Dominum, vt exaudiat te; & illuminet te, nè in morte obdormias, & inimicus dicat; præualui aduerſus eum. Amen.

CONSIDERATIO. VI.

ARidum eſt Domine cor meum, ſpiritus meus triſtis, quid faciam? Audi Prophetam: In ipſo ſperauit cor meũ, & adiutus ſum, & refloruit caro mea: exiccat oſſa ſpiritus triſtis, lætitia autem irrigat ea: vnde autem lætitia, niſi à te, dum excitas ſpem, & fiduciam in te: dicitur autẽ fœcunda ſpes congaudeat; ſit cor meum fiduciam habens in te Domine, vt euadat hilare, & ad tibi ſeruiendum validũ, & forte: quare anima mea, &

cor

cor meum deſinitis ſperare in Domino, & tamen audio, ſperare in eo omnis congregatio populi: & iterũ, quoniam in me ſperauit, liberabo eum: & rurſum: Spera in Domino, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius, niſi quia adhuc non cognoſco te, & obliuiſcor, quòd Deus es; audi Pſalmiſtam: Et ſperent in te, qui nouerũt nomen tuum Domine, eſſe tuum, eſſentiam tuam, hoc enim tibi idẽ, quod nomen, tu dixiſti; Ego ſum qui ſum; qui eduxiſti populum tuum in manu Moyſi, & Aaron de Pharaonis, & Ægypti ſeruitute dura. Patres noſtri, qui te cognouerunt, in te ſperauerũt, & non ſunt confuſi; es ergo Dominus liberans, & viuificans nos; infelix homo, qui in homine confidit, & in bonis temporalibus; ſpes enim ſterilis eſt, & infæcunda: doce me Domine ſperare in te, vt confirmetur cor meũ, & fœcundetur, lætentur viſcera, & cantẽ; ſpes mea in domino Deo meo, qui fecit Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt; tu illuminas cœcos, tu paſcis eſurientes, tu iudiciũ facis iniuriã patientibus, tu ſoluis denique cõpeditos, & eliſos erigis:

di-

dicã; in te ſpes mea ſemper, quia adiutor fortis; inde lætabitur cor meũ, nõ vt timeat, ſed vt exaltet nomen tuũ. timeat inſuper, nè ampliùs oſtendã te: erubeſcã, & confundar; quia deſij ſperare in te; peccaueram Domine; inde timebã te, nec recordatus ſum miſericordiarũ tuarũ, quæ à ſæculo ſunt; diſceſſi Domine à te, quia operatus sũ iniquitaté, immemor benignitatis tuę, & longanimitatis, & quòd non reijcis venientes ad te, & expanſis in cruce manibus vocas peccatores: irritaui te Domine in peccatis recidiuus, ſed non debebam deſinere ſperare in te, qui & Iudã proditorem amicũ vocaſti, & deſperationem eius grauius exiſtimaſti peccatũ, quàm proditioné, ò dulcis, ò miſericors, da mihi fletũ, & doloré, vt lugeã, & contriſter pro peccatis meis, inde confidam in te, iubilem, & exultem.

CONSIDERATIO VII.

VErũtamen non mea voluntas, ſed tua fiat: O ſacra oblatio voluntatis, quã in ipſa conceptione feciſti, dicens: Ecce venio, vt faciã volun-

luntaté tuam Deus, & legem tuam in medio cordis mei: & iterũ: Veni, non vt faciam voluntatem meã,ſed voluntaté Patris mei, qui in cælis eſt: & rurſum: Meus cibus eſt, vt faciam volũtaté Patris mei: in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti: O verè digna oblatio pro mundi ſalute,tu domine Ieſu,in cuius nomine omne genu flectitur cæleſtiũ, terreſtriũ,& infernorum, charitate ignita impellente te, orans vehementer,nedùm genibus poſitis, ſed procidſa in terram facie,humilitate admirabili, voluntatem tuã offers pro me, ò verè cor ardens domini mei Ieſu Chriſti, ò ineffabilis bonitas, & mira dignatio charitatis, amore languebas domine, ideò in faciem cecidiſti; verus Iacob pronus in terram;& adorans dixiſti; Fiat voluntas tua, non filios videre cupiens viuos, ſed mortuos iam ad vitam reuocare, vitam tuã offerens Patri in holocauſtũ, & odorem ſuauitatis, voluntatem moriendi immolans Deo,æquè charum holocauſtú, quàm vita, ſed magis repetitum ſemper cupiens, quòd ſemel fieri poterat, ò effectus amoris!, charitatis, doce me

me

me domine voluntatẽ meã offerre tibi,& genu flexo non tantum corporis ſed cordis dicere: fiat voluntas tua; immolem tibi in holocauſtum intelleĉtũ, & voluntatem meam; hæc enim anxietatum cauſa eſt,& dolorum, & quis valeat eam tibi offerre in ſacrificiũ,niſi grandi auxilio tuo roboratus? viuum namque ſacrificiũ, in quo non extranea caro, ſed propria volũtas decollatur,fortior animæ potentia ſubijcitur, tuæ gratiæ domine vi, eſt,& poteſtas etſi ferrea eſt voluntas mea, tu ignis es, & gratia tua ignita: inflãma eam, & deduces quo tu vis, carbones ſuccenſi ſit memoria paſſionis tuæ, & ventus gratia tua ſuccendens magis, ſicque voluntas mea in lege tua ſit, & pro te ardens,vt dicam quieſcens,Fiat voluntas domini.

CONSIDERATIO VIII.

VBi crucifixerunt eum: Illum nèpè, qui in carne venerat,vt me redimeret, illum,de quo dicitur: Verbum erat apud Deum, tu eras ſacroſãctum, vnicum, ſupremum,omnipotẽs Verbum, ipſe Deus, Dei pectus, conceptus

Digitized by Google

ceptus, virtus ſapientia Dei ſubſtantialis bonitas, infinitum in ſe, & infinitæ durationis, ratio admirabilis, lux glorioſa, inacceſſibilis ſplendor, ens reale, & veriſſimum inter omnia, & ſuper omnia, infinitas, plenitudo, expreſſio, conceptus, pronunciatus, lumen de lumine, claritas, filius denique dilectiſſimus, ratio, definitio, Verbum, partus diuinæ mentis, cordis feruor, peccatoris ſecretum, diuini ſinus, intrinſeca cogitatio · Idearum Idea, fons fontium, cauſa cauſarum, gloriæ ſplendor, figura ſubſtantiæ, imago bonitatis, genita ſapientia infallibilis, & certa, in cuius contemplatione anima deficit, alas meditationum colligunt cæleſtes Seraphim, Maieſtas tua omnes ſuperat cogitationes, tu æternum Verbum in principio ſeculorum ſine principio eras, cum Deo ſtabas inſeparabiliter, eademque Deus potens, ſciens, & volens diſtincta perſona: nã eras apud Patrẽ, natura tamen, & eſſentia idẽ Deus ſimpliciſſimus, quia Deus erat Verbũ, permanebas æternus & in æternũ duraturus apud Deũ; in eadẽ ſimplici, & indiuiſibili natura, eadẽ virtus, Sapientia, bonitas ſubſtã-
lis

lis ſplendor, eadem diuina ſubſtantia, idem Deus, hoc eras apud Deũ, antequam quicquam fieret in te, omnia ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia facta ſunt; cuncta, quæ ſunt, in tua bonitate, & virtute conſequuta ſunt eſſe; ò Verbũ, ò Verbum in te vita erat; in te enim viuimus, & tamen meã non dedignaris aſſumere, vt homo mori poſſes, & Deus impaſſibilis manens, redimere valeres; verus, & ſolus mediator. Amen.

CONSIDERATIO IX.

TVam ipſius animam pertranſibit gladius. Non corpus, ſed animã transfixit: quis intelliget dolores Matris in morte Vnigeniti? ſub ſilentio pertranſiere Euangeliſtæ, vt maior hic debeatur affectus, vbi credulitatẽ cogit contemplatio, non fidem hortatur opinio, hic vehementiores dolores, quàm parturientis; ibi enim naſcitur filius, hic moritur; vera Rachel plorans filium ſuũ; vox tua in excelſo auditur, & in conſpectu omnipotentis lachrymæ tuæ ſunt; dulcis vox fletus tui in auribus Altiſſimi, tunicam Ioſeph

in hędi ſanguine intinctā manibus ſuis tenebat Iacob, contemplabatur, veſte in quaſi filij amiſſi carnem oſculabatur, flebat, & in veſte præſentem habebat in cogitatione filium, tunica eadem exagitabat, & mitigabat dolorem; tu autē domina non filij inſignia ſanguine aſperſa, ſed filium ipſum mortuū, carnem ipſam vulneribus plenam; corpus plagis afflictum in manibus tenes, vt grauior eſſet dolor, & aſperior pœna, conſtantiæ fortiori maior probatio debebatur: Deoſculare Mater pedes illos, quibus mare liquidum ſolida terra fiebat, elaboratos pro me, non tamen laſſos, transfixos videns: deoſculare manus perforatas, manus expalmatas, quę verè fuerunt palma victoriæ: lauent lachrymæ tuæ corpus illud diuinū denigratum à peccatis meis: quis rependet dolorem tuum Virgo beata? amant cæteræ matres filios, ſed tu amabas in filio Creatorem, conſiderabas tamen Redemptorem, qui ad hoc venerat, vt humanum genus, à faucibus mortis, & diaboli ſeruitute liberaret; te etiam domina redemit; præſeruauit namque ſuæ meritis paſſionis à peccati labe; inde diceris, Tota pulchra es amica mea,

mea, & macula non eſt in te; hæc recordata es, & conſolabaris; mater noſtra charitatis ſuper plena, & ſupereffluens, lugebas tamen mortem filij, paſſionem Vnigeniti, inſuper & illos, quibus paſſio Dominica futura erat infructuoſa; in hoc anima mea pertimeſcit, & perculſa timore ad te matrem miſericordiæ recurrit, vt mihi ſalutem impetres, quæ es mater Saluatoris.

CONSIDERATIO X.

ET valdè manè veniunt ad monumentum; Angelus autem dixit; ſurrexit non eſt hìc; matutinus enim, & antelucanus Dominus euigilans reſurrexerat, humano namque generi reſurgebat; ideòque dicitur: & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, amatis prouidebat ſua reſurrectione creaturis, ideò nec lucem expectabat, & vigilantes mulieres fortiori charitate præuenit, Sol iuſtitiæ ſoli materiali præcurrit, licèt iſte, qui vt ſuo cõmoreretur auctori ipſam meridianam ſuam mortificauerat claritatem, vt eidem conſurgeret Creatori ſuo

cunctis tenebris antelucanus erupe-rat, & vt citius mane faceret, mani cauerat: qui tamen exultauerat, vt gigas ad currendam paſſionis viam, tribuens nobis reſurrectionis fructum, voluit; & nimirum, quia alæ eius alæ ignis; ignitas alas habet amor; inde non inuentus apparet, ſed inueniens; nec ſolùm quærentibus, ſed & non quærentibus ſe manifeſtat; neſcit præueniri amor; exultas Deus, quia iuſtificatus eſt homo; ad reſurrectionem in momento vocabis nos; hilaritèr enim facis, quia amanter, in atomo, in ictu oculi, neque tardas, dùm miſeris, & confers beneficia, ò charitas, ò amor, quis mihi det huiuſmodi rependere, & frequens cogitare: da mihi Domine tecum reſurgere, & cœleſtia quærere; tu enim potes, ſi vis.

CONSIDERATIO XI.

EXultate iuſti in Domino; & exultauit cor meum in Deo meo. Cõfirmatum eſt cor meum in huiuſmodi lætitia, quia permanens, & conſtans eſt; doce me domine huiuſmodi intelligere veritatem; ſpirituale gaudium

non

non eſt lubricum, ſed firmum; profanum verò fugaciſſimum; illud in Deo fundatur, quod ſemper idem eſt, cuius anni non deficiunt; hoc in mundo, quod ſemper immutatur, & ad exitiũ properat; inde in eo gaudium feſtinat, nec moras poteſt ferre lætitia, terrena gaudia ſomnijs ſimillima ſunt, veniũt, abeunt, occurrunt, refugiunt, priùs quàm cõprehendantur, auolant; ſcęna humanæ vitæ, quaſi ſomnus: ſpirituale gaudium forte, confirmat, & acerrimum reddit bellatorem, gaudiũ Domini noſtra eſt fortitudo, hoc muneri Propheta cupiebat; & ſpiritu forti confirma me, radicata exultatione lætatur Domine, cùm exultamus in te; hoc oleo filium tuũ vnxiſti Pater, ſtrenuum gigantem illum, qui mundum, & diabolum debellaturus aduenerat; quare ergo, qua velut ſomnium auolant, & tranſeunt, ſicùt viſio nocturna, deſideramus, & ex eis lætitiam quærimus, & anhelamus, exclamat Propheta, dormierunt ſomnum ſuũ, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis; euaneſcunt enim terrena omnia non minus quam ſomnia; ſtabile verò gaudium, firmamque lætitiam,

tiam, quæ in te eſt Domine, nec intelligimus, nec deſideramus, niſi quia præſens illud, & ſentitur; hoc autem differtur, & ſenſibus non percipitur, inde illud ſequimur, ſuper hoc nauſeamus; tu autem Domine, qui cor illuminas, & accendis, mentem præparas, & inſtruis, nè amplius obdormire ſinas me, lætetur in te anima mea; exultet in te ſpiritus meus, gaudeant in te viſcera mea, vt dicam: ſicùt adipe, & pinguedine repleta eſt anima mea, & labijs exultationis exultauit cor meũ; ex adipe gratiæ tuæ prodeat in corde meo dulcedo amoris, affectus iubilãs, & gliſcens, vt tibi ſeruiam in lætitia, & exultatione. Amen.

CONSIDERATIO XII.

QVi ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Vnde hæc exultatio, niſi ex vbertate fructuum, quos lacrymarum pluuiæ attulerunt; bonæ lacrymæ, quæ non ſolùm noſtrum poſſunt lauare delictum, ſed etiã verbi cœleſtis rigare veſtigium, vt greſſus in nobis eius exuberent; rigant animã, vt verbo diuino cadente ſuper eã

fru-

fructum afferat, nec areſcat natum ex humoris defectu; non ſuperuacuè m.indicant lacrymæ veniã, nec vnquã patitur contriti cordis holocauſtum repulſam; inde Deus meus lacrymas hominis ponis in conſpectu tuo, intra te, quaſi non inferior locus, quã ſinus tuus humanis lacrymis debeatur: debentur tamen Domine lacrymę, debetur fletus, & planctus noſtris peccatis, quibus offendimus te ſummũ bonum, & benigniſſimum benefactorem: quis autem arens cor meũ, exuſa viſcera in aquã conuertat lacrymarum, niſi tu Deus omnipotens, qui conuertis petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes; anima mea, ſicùt terra ſine aqua tibi, alijs, ideſt bonis temporalibus lacrymatur, immuta Domine fletus mei genus, immuta obiectũ, tibi plorem, pro te plangã, quia te non inueniam; arens infructuoſa ficulnea non affero fructum, irriga lacrymis meis Domine ſurcos animæ meæ, cogitationes meas, vt in amaritudine, & fletu recogitem tibi annos meos: immitte ignitũ rogum amoris tui in eã; vt exurantur tribuli, & ſpinæ concupiſcentiarum mearũ, quæ ſuffocant ſe-

mentem tuã, nè anima fructificet; iuxtà aquas lacrymarũ, quaſi platanus cõmoretur, ſub vmbra alarũ tuarum, nè in deſiderijs tẽporalibus ardeat, & frigeſcat ſpiritu; lugeam in tempore, vt in æternum gaudeam. Amen.

CONSIDERATIO XIII.

TVrris fortitudinis à facie inimici. Dùm times anima mea à facie inimici, & perſequentis, qui ſemper circuit quærens, quem deuoret, recurre ad turrim fortiſſimam nomen Domini; hæc verba meditare, & expende, vt conſoleris: confuge ad Redemptorem; Chriſtus enim nobis factus turris à facie inimici, caue, nè feriaris à diabolo, fuge ad turrim; nunquã te ad illam turrim diabolica iacula ſequutura ſunt, ibi ſtabis munitus, & fixus; ante te eſt turris, recordare Chriſtũ, & intra turrim quicquid pateris, cogita, quo fine paſſus eſt, vt moreretur, & reſurgeret; talem, & tu finem ſpera, qualis in illo proceſſit, & intraſti turrim; hæc ad Dominum fuga non ignaua eſt, ſed ſtrenua, & à tentationum iaculis liberat; fuga hæc fœcunda vir-

tutũ eſt, non effęta meritorũ; hæc fuga neſcit frigus timoris, tremorem mortis, contradictionem ſollicitudinis, diſſolutionis otium, laſciuiæ ferias, torporem lentitudinis; turris iſtius portæ plagæ tuæ ſunt, in quibus ab infidelitate ſanatur Thomas, & quieſcit deinde ſecurus, tentationũ vndæ, quæ ipſum proſtrauerant, dùm per portas intrauit, ſiluerunt, digitũ intulit, manũ admouit, fortis, & ſtrenuus factus eſt, reſurrectionis, & diuinitatis fideliſſimus teſtis; apertæ ſunt, vndique portæ turris iſtius, vt cum fiducia intrent peccatores, ibique timorem, culpæ comitem indiuiduũ deponant; & dicant ſecuri; ſi conſiſtant aduerſum nos caſtra, non timebit cor noſtrum.

CONSIDERATIO XIV.

De te Domine ſub ſpeciebus panis dicitur: letificabis eum in gadio cum vultu tuo: & rurſus, illuminet vultũ tuũ ſuper nos, & miſereatur noſtri amabilis facies, qua bonos ſanas, & recreas, terribilis altera, qua malos perdis; vnde dicitur: pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus

tui; & iterum ; vultus autem Domini ſuper facientis mala. In hac menſa iuſti viuunt, moriuntur impij, qui fuerunt impij, & pœnitentia loti veniunt ad te, nàm illos recipis, & paſcis, & diuinitatis participes effecti manent in te; qui verò in impietate perſeuerantes audent accedere, mortem inueniunt, dignus vitam accipit, indignus in morté incidit; ò timor, ò tremor; exclamabo; delicta quis intelligit? quis dignus dicetur, vt accedat ad te, tu quis es? Dominus cœli, & terræ, in quem deſiderant Angeli proſpicere, quem cœleſtium ſpirituũ totus ordo genuflexus adorat, & intuetur timens; homo verò putredo, & filius hominis vermis; ego autem peccator, & vix alicuius momenti inter homines, accedo tamen in tua pietate confiſus: fuerat Maria Magdalena in ciuitate peccatrix, ingemuit, doluit, deinde acceſſit, neſcit diuinæ gratiæ virtutem Phariſæus, inde dicit, peccatrix eſt, dicere debebat, fuit, ſic immutat gratia tua peccatores, vt faciat innocentes; immuta me domine Deus, vt efficiar dignus conuiua, & ſic à te paſcar, vt viuam, & ſemper dicam; vi-

uens

Digitized by Google

uens ipſe confitebitur tibi; ſicut, & ego hodie. Amen.

CONSIDERATIO XV.

ET meditatus ſum nocte cũ corde meo, non intellectu tantùm, ſed affectu; tunc corde præ amore ferueſcente meditatur, & lingua, quãdo dulciter modulatur; ſic enim dicitur; & lingua mea modulabitur iuſtitiã tuam, tota die laudem tuã; quę eſt autem meditatio intellectus, & cordis mei; niſi verba; aut obliuiſcetur miſereri Deus. aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? in medio vltionum miſereris; vlciſceris, vt miſerearis, percutis, vt ſanes, corpus tribulas, & affligis, vt gaudeat ſpiritus, &, lætetur: temporalia bona ſubtrahis, vt eleuemur ad cæleſtia; tu es Deus, qui facis mirabilia; redemiſti enim in brachio tuo populum tuũ, in brachio tuo feciſti potentiam; in filio namq; tuo ſuſcepiſti Iſrael puerũ tuum, recordatus miſericordiæ tuę; ſaluas hominem, qui creaſti hominẽ, diſperſos congrgas, vt in vnum conueniant, maximũ hoc opus eſt, & mirabilę voluntatẽ hominis, quæ ad malũ

pro-

prona eſt ab adoleſcentia ſua, eandem in ſua relinquens voluntaria libertate, ſic immutas, vt nil appetat magis, quã bonum, nihil enixiùs fugiat, quàm malũ; ò immutatio mirabilis dexteræ tuæ ſolius; hinc exercebar, & ſcopebã ſpiritũ meũ, vt nihil remaneat; quod oculis tuis diſpliceat, in tuis miſerationibus exercitatio mea eſt, & dũ intueor continuè miſerantẽ, ardet in amore tuo cor meũ, exſiccãtur ſpinæ, quę circa illud ſunt, cinere aſpergitur, vt adueniente aqua gratiæ tuæ fructum afferat; expandi manus meas ad te, ſed anima mea ſicut terra ſine aqua tibi, tu autem expendis manus tuas ad me; dum autem dira lancea confoderis, sãguinem emanas, & aquã, vt lauemur, & ſatiemur, quia apud te eſt fons vitæ, ò ſanguis, ò aqua, ò magna charitas Saluatoris, anima mea, quæ ſitis, accede ad ſanguinem, hinc inebriaberis; ò felix ebrietas, ò ſuauitas ineffabilis, quis intelliget miſericordias domini? Amen.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO XVI.

ET circuibat Ieſus caſtella in circuitu docens: Audiſti, quemadmodū circuit, quemadmodū te, & propter te vbique pietas indefeſſa perquirit? aduerſarius noſter diabolus circuit; ſed quærens, quem deuoret, quē perdat, & in gehennam pertrahat, vt patiatur ſine fine ſupplicium, Deus autē, & dominus circuit, & quærit, vt doceat, & ſaluet te, & ad gloriam perducat, quā tibi ſuo ſanguine acquiſiuit, vt cū eo in æterna beatitudine ſine fine viuas, & regnes; verè miſerationes eius ſuper omnia opera eius, ille, de quo vox fideliū clamat; pleni ſunt cœli, & terra gloria tua, propter te circuit, apparet, videtur, & tenerur in locis, quò ſe immobilis plenitudo mouet, quò accedit, vel vnde recedit quo ſunt plena omnia, & tamen vadit, redit, deſcendit, aſcendit, quia te nimis diligit nimis amat, habitus ſuſcipit, formas variat, cōmutat officia, vt te mutet in melius, & à circumeuntis diaboli faucibus eripiat, & vindicet, diu quæſitum, & ereptum ſuis imponat humeris, & ad cæleiſts

leſtia regna perducat; errantem ouem quærit, & fugientem ſequitur, in latibulis abſconditam vera lux perquirit, & poſtquàm inuenerit, lætatur, infirmã ſanat, frigidam fouet, immundam lauat, in ſinu ſuo tanquã nutritus amans imponit, & eleuet ſecum; anima fugit, vt pereat, ſequitur Deus, vt ſaluet, feſtinat illa ad perditionem, volat dominus, vt viuat, & ſi quando deſinit, vt eat in vanitatibus ſuis, hoc facit, vt auidius quærat, ò Deus amans, & quærẽs; non enim quæreret niſi amaret; magis timeo domine amorẽ tuum, dilectionẽ tuã, quàm omnipotentiam tuam; te enim amantem, & diligentẽ non amo, querentem te fugio; inde amor tuus, charitas, & dilectio tua erunt mihi in condemnationem, omnipotentiã tuam exerces, vt me ſalues, & nihilominus rebellis viuo, fixus in limo profundi à concupiſcentijs temporalibus obſtrictus; quando ſtatum meũ lachrymabor, & gemam? quando clamantem te ſequar? quando audiam vocem incantantis ſapienter? quando amantem te amem? quando quæram, ſicut quæror.

CON-

CONSIDERATIO XVII.

MIſerere mei Deus, quoniã ſuauis, & mitis es, & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te; benignus in bonos, ſuauis, & facilis ad ignoſcendum peccatoribus, nihil merentibus miſericors, malè merentibus mitis; ijs tamen, qui inuocant te, & de tuo nomine ſe appellari volunt, eoque cupiunt, tamquã de honeſtiſſimo cognomine nobilitari; verè diues in omnes, qui inuocant te; ego autem ad te leuaui animam meã, tuæ voluntati dicaui illã, & quaſi quoddam munus dedicaui tibi; vides domine, quod ab hominibus laſſis non datur requies, & nimirum quia homines ſunt; tu verò Deus ad quietẽ nos vocas; venite, clamas, ad deſertum locum, & quieſcite puſillum; rationabile petis obſequiũ, & imbecilli naturæ compateris, & totus benignus, & ſuauis es, ò felix anima, quæ in te quieſcit, manantem à te ſuauitatem dilatato ore, & corde flagranti frequenter ſugit, calix tuus inebrians quàm præclarus eſt, ſobria ebrietas, quæ animam replet, nec corpus

pus grauat: potant nos homines vino compũctionis, grauedinis, & agitationis, diſponis hæc domine, vt ad te veniamus, ſarcinatos enim, & onuſtos vocas, vt reficias nos; quare nos vocant homines, niſi vt diſſipent nos, nouiſque ſemper flagellis afficiant; tu autem congregas nos, vt confiteamur nomini tuo, & gloriemur in laude tua, in miſericordia tua, in quo gloriaris, & laudem reponis, quomodo miſeretur pater filiorũ, miſereris nobis domine, quia recordaris figmentum noſtrũ vires examinas, dum tribulas, & dum diſſipare cogitas, tendis funiculum tuum in miſericordia ſuperfluens; te reſpicis, dum miſereris; nos intueris, dum caſtigas, ò dulcis, ò miſericors: tu dicis; inuoca me in die tribulationis, eruam te; anguſtiæ dies ſunt, exaudi me domine inuocantem te, & intende voci deprecationis meæ, vt in te viuã, & quieſcam, & repleatur cor meũ ab vberibus ſuauitatis tuæ. Amen.

CON-

CONSIDERATIO XVIII.

AD te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: Feruore cordis, & non clamore oris; venerunt, & exaudiſti eos domine, Rex clemens, & amans, clamabo ad Deum altiſſimum Deum, qui beneficit mihi, corde humili, & proſtrato, quia cum ſis, domine altiſſimus, ad humilia reſpicis, vt extollas; clamaui in toto corde meo, exaudi me domine, feruet cor meum totum amore tui, ergo tu, qui prior diligis, nō deſines exaudire; clamauerunt ad dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos, effuderunt corda eorum coram te, inde exaudiſti, quia tu adiutor noſter in æternum, cor effunditur, quando illud liquefacit amoris calor, nihil negas amans amanti, validè clamat homo, quando ardenter amat; cum clamore valido, & lachrymis exauditus fuiſti, verè dominus meus, & Deus meus, quando cor tuū in cruce, quaſi in ardenti fornace amore feruēs pingue holocauſtū Patri obtuliſti in odorem ſuauitatis, validè clamaſti, quia

for-

Digitized by Google

fortiter amaſti; clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſò ſum in tribulatione, cordi ardēti, & humili correſpondet exauditio; quid autem petit amans, niſi amorem dilecti. Tu Deus, qui nos amas, petis amari, omnipotens dominus omnĩum cor ab homine petis; Pater à filio: non dominus à ſeruo, cuius cor in hac meditatione non accenditur; quid ſum ego Domine, quòd memor es mei, aut filius hominis, quia reputas eum, homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt, & nihilominus deliciæ tuæ ſunt cum filijs hominum; quare hoc? niſi quia amas, & deliciarum torrente, qui à te deriuat, & perenniter fluit; hominem paſcis, & lætificas, deliciatur homo in te, à quo omne bonum, & dicis; deliciæ meæ cum filijs hominum: magna vis amoris; ex quo nos in te, & tu in nobis; ò felix anima, quæ ſic amat, vt hæc intelligat, tuas dicis Domine delicias, quæ noſtræ ſunt; deliciaris tu, quando ego delicior, hæc meditare, anima mea; hæc modulare, & dic; Dulcis, & rectus dominus, pronunciet hæc lingua mea, & quaſi fauus mel-

mellis ſtet in ore meo; clamem, clamem feruenti, & ſuccenſo corde, & dicam ſemper: Benedictus Deus.

CONSIDERATIO XIX.

ADiuua me, & ſaluus ero. Defectus viribus ſum, vix me ſuſtineo, & frequenter cado, Domine tu ſcis; adiuua me cibo verbi tui, & euadam fortis; auxilio tuo confirma me, cadentem me, & penè collabentem ſuffulce; nedum extrinſeco auxilio, quaſi virga, & baculo ſuppoſito ſuſcipe me, ſed interno quaſi cibo firma, & cuſtodi me cibo tuo, corpore ſcilicet tuo redde me fortem; verbo tuo confirma me: circumda gratia tua cor meum, & tutus ero, præſidium tuum, quaſi ſatellitium circumſiſte, & vltra non timebit cor meum; quieſcit anima, & ab inimicis ſalua erit, in iuſtificationibus tuis meditabitur, & quaſi dulciſona carmina decantabit; inde dulcia erunt eloquia tua ori meo ſuper mel, & fauum, eaque pronunciabit lingua mea, nequaquam deglutiet, ſed volutabit in ore, quia cibus dulcis eſt, & meditatio ſuauis, Deus me-

Digitized by Google

meus nè elongeris à me, gratia tua quaſi ſepem circumda animæ meæ, ne incurſibus pateat inimicorum, murus, & antemurale ſit gratia tua, nè anima mea ictibus ſubiaceat aduerſariorum; veniat ſuper me miſericordia tua: prope me gratia tua, ſepiat, & circũdet me vndique, nè valeat inimicus vulnerare eam; Domine tu ſcis, quàm validus ſit aduerſarius meus, quantum vigilet, vt perdat me; audacter dico tibi; tuus ſum ego, ſaluum me fac, præſidium mihi ſit gratia tua in die malorum, vt dicam; Saluum me fecit, quoniam voluit me: exultabimus, & lætabimur in te.

CONSIDERATIO XX.

SCientes, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione, ſed pretioſo ſanguine, quaſi Agni immaculati Chriſti. O verba, quæ alijs deuotioné, alijs præbent occaſioné timoris, Deus redemit me ſanguine ſuo de faucibus mortis, & inferni; & vitæ reſtituit, & Paradiſo; ego autem iterum me ipsũ in ſeruitutem redigo; ſeruus peccati effi-

efficior, quia pecco; quomodo ſtabo ad videndum eum, qui habet vulnera cicatricum paſſionis ſuæ, & meæ redemptionis memoriale? quid dicam? aut quid faciam? ſanguinē Dei, meæ redemptionis pretium cōtempſi, Deū video cruore proprio coopertum, voce magna clamantem, & dicentem; nè repellas pretium meum, vitam meā, ſanguinem meū, paſſionem meā, tuæ redemptionis pretium, à me Patri ſolutum, vt redimerem te, & redderē mihi populum acceptabilem, ſectatorē bonorum operū; quare iterum vendis te? cucurri in ſiti quærens te, tu autem fugis ſequentem, vt ſaluet te, & perſequeris quærentem, vt perdat te; paratus es ſuſcitare Leuiathan; ò me miſerum, qui audio hæc; & non exaudio, verè piger, qui vult, & non vult; Domine Domine, qui redemiſti me, memorare, quod ſeruus tuus ſum; ſit ergo voluntas ſerui in voluntate domini ſui, mea ſit in voluntate tua, vt redemptus ſanguine tuo, iam non mihi viuam, ſed tibi, qui pro me mortuus es, vita mea tua eſt; tuo enim ſanguine comparaſti eam, non accipiam ergo ad vanitatem vitam meam, cuius

pre-

pretium tu idem Deus es, omnia tua dediſti: & hominem comparaſti, parum dixi, te ipſum; inde dicitur: empti enim eſtis pretio magno: & adhuc vili pretio vẽdo me; carè emptus, quia magis dilectus; amem ergo diligentem me: reuela oculos meos domine, vt videam, ante oculos meos ſemper ſit miſericordia tua; intelligã me Chriſti domini ſanguine emptum, vt amplius me non exhibeam venalẽ. Amen.

CONSIDERATIO XXI.

INtende in adiutorium meum domine Deus ſalutis meæ; Nè tanquam aliud agens mihi opem ferre negligas, ſed ad auxilium mihi ferendum intentus eſto; hoc age; vt mihi citò ſuccurras; tui namque muneris eſt afflicto ſubuenire, & cum ſis Deus ſalutis, tuum eſt ſalutem dare, & opẽ ferre: accelera, nè tardes, intentus eſto, vt opem feras: tu Dominus ſalutis hominum; eam enim vita tua comparaſti, nè ſinas eius perditionem, ruinam, & deſtructionem euita, audacter dicam; parce mihi domine; ſtudio tuo accu-

accuratiori indigeo,vt ſaluer; tu enim vides,quàm prona,& facilis ſit ad peccandum natura mea: recidiuus,& debilis,in concupiſcentijs ardens, nimijs deſiderijs tẽporalibus, quaſi ergaſtulis detentus, in amore tuo frigidus, tuis vocationibus ſurdus, in tuorum exequutione mandatorum negligens:defectio tenet me;anima mea, ſicùt terra ſine aqua,ſed tibi,cui viuere deberem, palmes in vite,quæ es tu,fructum non fero, ſed labruſcas, vnde conquereris, & dicis:Quid potui facere vineæ meæ, & non feci, expectata eſt: longanimitate tua expectas me, tot annis prorogas vitam, & non mutor; verè Deus longanimis,& multum miſericors;auge gratiam Domine, accelera, vt eripias me, eſto mihi in Deum protectorem,& in locum munitum, vt ſaluum me facias; miſericors Dominus,& iuſtus, & tamen Deus noſter miſereris, opus tuum miſericordia, voluntas tua miſeratio; quia vita in voluntate tua, ira autem in indignatione tua, voluntas tua potentia; ſaluum ergo me fac, & ſaluus ero: diſrumpe vincula, inflãma cor, excita vires, adiuua,vt ſaluer; intende in adiutorium meum, cuſtodi

Digitized by Google

me, qui ſaluos facis ſperantes in te, Domine, in tribulationibus meis, & tentationibus non confundar, quoniā ſperaui in te, oculi tui ad me, & non deficiam. Amen.

CONSIDERATIO XXII.

INtroeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum: gemitus meus Domine à te non eſt abſconditus. Addictus morti, ego ſum, quia peccaui; morti autem addictos ſoluere, tui brachij, tuæ virtutis eſt, de te dicitur; Dominus ſoluit compeditos, imò diſrumpere neceſſe habes miſericors Dominus, & fortis, quia non in fortitudine ſua roborabitur vir, & ſic dicam; dirupiſti vincula mea, ſolutus vinculis peccatorum, & concupiſcentiarum compedibus liber, collū meum libens inijciam in legis tuæ compedes, & mandatorum tuorū torques affectus meos; vincula enim tua ſunt alligatura ſalutis, dura ſenſui ſunt verba labiorum tuorum; dulcia autem intellectui, quis autem faciet, vt abſtrahatur à ſenſibus, & intellectui pateant, niſi tu, qui vincula diſrumpis, vt læti curramus,

mus, & feſtinemus hilares tuæ legi obedientes; tu auertis oculos, nè videant vanitatem: præceptum tuũ lucidum illuminans oculos, tu illuminas mirabiliter; denique tu ſaluos facis ſperantes in te: qua autem ſpe veniam iniquus, & peccator, illa Domine, quia pater es; intùs eſt in patris pectore ipſe, qui interuenit, & exorat affectus: ſæpè Domine diſſimulas iudicem, quia magis vis implere genitorem; inde dicitur: quomodò miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe: de cœlo proſpexiſti, vt audires, gemitus compeditorum. Quis enumeret, quæ paſſus es, vt liberares eos; quia ergo multum paſſus es, nè ſinas eorum perditionem; veniam peto peccatorum, & benè ſcio quia tardius tibi videtur peccatori veniã dare, quàm ipſi peccatori accipere; neque tardans diligens Pater dimittere, ſed nos miſeri reiteratis peccatis, quaſi nouis laqueis, & funibus alligamus nos, & nouos ſubintramus compedes, & vocati non venimus ad te. *Sana me Domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero*, ſalutem à Saluatore expeto, tu ſcis, quomodò ſalues, quia Deus ſalutis

es, & dicitur: Deus noſter, Deus ſaluos faciendi. Amen,

CONSIDERATIO XXIII.

PSallite Deo noſtro, pſallite, pſallite Regi noſtro, pſallite; quoniā Rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter, Deo noſtro, qui fecit, & creauit nos. Oues paſcuæ tuæ confiteantur tibi in ſæculum, opus manuum mearum, dicis, hæreditas mea Iſrael; vniuerſæ terræ tu es Rex Deus meus, & Dominus meus; inde dicitur: quia ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit illam; Dominus vniuerſorum tu es; omnes populi pſallant, & plaudant manibus coram te, quia non vni Genti, & populo, ſed omnibus totius orbis terrarum populis, & gentibus imperas: parum hoc, niſi diues eſſes in omnes, qui inuocant te, non remiſsè, ſed alacriter, diligenter, & amāter pſallam tibi, quia creaſti me; omnis homo pſallat tibi, quia ſuauis es, & redemiſti eos in ſanguine tuo; pſallat anima mea, & pſalmum dicat, quia tàm pro omnibus, quàm pro me, vt omnes, ſic & me pretio tui ſanguinis

de

de captiuitate, & morte eruiſti; tu enim es paſtor bonus, cui grex non non carior, quàm ouis vna; vnam illam errantem quæris, vnam præ omnibus deſideras, inuenis tandem, & humeris tuis imponis; vides enim, quantum errando laborauerat; laſſat namque via iniquitatis. Pſalmum ergo dicam tibi, quia Redemptor es, & pretiũ redemptionis meæ nil aliud, quàm tu es, humanum genus conſeruas Domine, ideòque pſallat tibi, hymnum, & pſalmum dicam & ego, quia conſeruas me: verè dicitur, quòd in altis habitas, & humilia reſpicis; quid enim humilius peccatore? Peccantem Petrum, & te negantem amans reſpexiſti, & ſanaſti eum; reſpice me, vt erigas me; ideò enim cõſeruas me, vt reſipiſcam; iuſtificas Deus hominem; pſallat ergo tibi, iuſtificatum glorificas, ideòque pſalmum dicat; & nomini tuo benedicat in ſeculum, & in ſeculum ſæculi.

CONSIDERATIO XXIV.

CVſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer.

Cuſtodia, Domine, amantis ſit, non timentis; diligam, vt ſeruem, amem, vt cuſtodiam, nihil enim graue amanti, leue onus diligenti; concupiſcam ſermones tuos, & diligam illos; quis autem diſponet hæc, niſi tu, qui corda noſtra diripis ad te, & inflammantia reddis; ignem veniſti mittere in terram, & dicebas, quid volo, niſi vt accendatur: ſpiritum mittis tuum ignitum, & cum eo validum ventum, vt accenderetur magis, & diſcipulorum corda ſuccenſa remanerent, inde ignitum eloquium eorum, diligunt ſerui Dominum, & amici vocantur; ecce Domine cor meum, inflamma illud, vt ad te currat, qui in altis habitas, terrena reſpuat, & ad cœleſtia ſuſpiret, dùm flagellor, conſiderem, quia flagellor à te, tu quis es? Dominus meus, & Deus meus, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam, & manus tua hæc, leuis ergo eſt, quia tua, leuis, quia Patris, leuior, quia amantis, dùm lęua tua eſt ſub capite meo, dextera tua amplexatur me, miſericordia tua magna eſt ſuper me; quicquid facis, ideò facis, nè perdas me, amariores mihi ſunt tribulationes meæ, quia non diligo te,

gra-

grauis obſeruantia mandatorum tuo-rum, quia in me amor non eſt, dignus non ſum, vt amem te, concupiſco tamen amare te, Domine tu ſcis, immuta cor meum, qui conuertis petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes; verè reſiſto vocationibus tuis; tu autem Domine, nè deſinas me vocare; ſic voca, vt audiam, & exaudiam vocem tuam, diligã, & amem, vt cuſtodiam mandata tua. Amen.

CONSIDERATIO. XXV.

REminiſcere miſerationum tuarũ, Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt. Non factorum meorũ, ſed miſerationum tuarũ antiquarum memor eſto; magiſque cogita, quod te Creatore dignum ſit, quàm quod ego merear: nihil noui agis Domine, dùm miſereri conſueuiſti; recordatus namque es, quia caro ſumus, nè ergo peccata dierum meorum, qui breues ſunt, diuturnæ, imò æternæ miſericordiæ tuæ præponderent: Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine? nunquid oblitus es miſereri? nequaquam; ſed idem ipſe es,

Digitized by Google

imbecillis ego,& ad peccata procliuis, carnis meæ laqueos euadere non valens, recordare, infirmitatis meæ, vt ſic ad clementiã flectaris,& ſi hoc non ſufficit, memorare miſerationum tuarum; ò me miſerum, qui quotidie pecco, & de tua, ò Deus Creator, miſericordia confido, de tua clementia præſumo, & ſic tuæ iuſtitiæ pelago expono me; verum hoc, ſed maius malum, ſi diffiderem: improbus peccator ego ſum, qui flere neſcio, & flenda cõmitto; cor meum lacrymas neſciens durum eſt, ſordidum, & aridum eſt; tu autem Domine de oculis meis fontem lacrymarum, & cordi meo dolorem, vt reddatur molle; laua gratia tua, quod eſt ſordidum; riga, quod eſt aridum, vt de corde mundo dignæ te exeant cogitationes, de mollito aquæ lacrymarum, vt gementem, & lacrymantem me Domine excipias, irriguũ det fructũ, quod oculis tuis placeat; Opus tuum erit Domine ſalus mea, hanc expeto, mecum ſit miſericordia tua. Amen.

CON-

CONSIDERATIO XXVI.

VIdeo Domine ſenſum corporis mei, quaſi equos ſine ratione currentes; anima autẽ mea, quæ retinet fręna currentium, imbecillis eſt, & inualida; vehementes ſunt, & fortes animæ paſſiones, inualido tamen compreſſo fræno; in præcipitio ergo tuo, & ad exitum propero, ferunt me potius, quã ducunt affectus, & paſſiones meę, neque reguntur fræno ad dirigũtur, concitant, & inflãmant, & rationis perturbãt iudicium, à bono auertunt, & ad malum inſtigant, & impellunt; miſerere Domine animæ meæ, cui certum imminet præcipitium, quæ ſuis affectibus modum non valet imponere, quæ paſſionibus ſuis, qua ſi equis effrænatis ducitur, & circumfertur, nè quæſo dimittas me ſecundum deſideria cordis mei; ſed potius ſis tu auriga currus, quo ducor, equos fræna dexterà tuà, quæ facit virtutẽ; eſto mecum, & mecum labora, retine fræna currentium, nè præcipites ruant, corpus hoc ſine ratione, & imperio animæ in ſuum fertur interitum; anima autem,

&c ratio nequeunt fortiter imperare, niſi tu adiuues, qui es adiutor fortis; Tūc replebitur os meum laude, vt cantem magnitudinem tuam, & gloriam tuam; tùnc dicam; benedictus Deus, qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio; tu deduces me in viam rectam, vt eam in ciuitatem habitationis.

CONSIDERATIO. XXVII.

DEduc me in ſemitam mandatorū tuorū, quia ipſam volui. Ecce, Ecce Domine motus voluntatis meæ ad te, ſed non ambulat ad te, niſi tu opem feras; eadem autem voluntas nō fuiſſet mota ad bonū, quod es tu, niſi à te, velle meū deducere tuum eſt, in ſemitis mandatorū tuorū, auxilium tuum, gratia tua, quaſi funiculus dirigat me, nè errem in cuſtodia legis, & præceptorum tuorū, incumbente corde meo, quia homo ſum, ad mala ab adoleſcentia mea, te Deo, mihi opus eſt, qui illud ad iuſtas transferas actiones: inclina ergo cor meū in teſtimonia tua, nec enim voluntatis meæ propenſio in teſtimonia tua, in mea eſt

po-

Digitized by Google

poteſtate, niſi tu inclines illam; quin etiam animũ rapiendo ad ſequendum illicias, ſegnis eſt humani cordis voluntas, & ad recta propenſio, nihilque agit, niſi tu gratia tua illam ad cupiendum inclines, & inclinatam adiuues; parum eſt legem dare, niſi tui ſpiritus inſtinctu interiùs illuſtres, atque excites hominem: ad manus tuas refero cuncta, vt cor meũ in teſtimonia tua inclinetur; tu enim præuenis, vt diſponas; excitas, vt aptum reddas; adiuuas, vt ambulet; deducis, nè erret; eleuas, nè proprio pondere trahatur ad ima; tandem dirigis, & trahis, vt ad te veniat; nolo ſcire, quomodò facias, ſed rogo, vt facias: Deduc me, ecce enim venio, nè ampliùs ſinas me in vijs currere peccatorum, ſemitæ tua vitæ latæ erunt, ſi tu velis Domine; dicam: Eduxit me in latitudinem, quoniam voluit me.

CONSIDERATIO XXVIII.

CVm multo timore, & tremore fuimus apud vos. Quid times ô Paule? quid times vas electionis, & corpus tuũ caſtigas, nè efficiaris reprobus;

bus; tuo nos tremore terres, & timore doces: da quæſumus Domine me hoc intelligere; quid enim faciet agnus, vbi aries tremit, vas electionis in cuius ore Chriſtus reſonabat, qui ſtigmata domini Ieſu in corpore portabat: macerat corpus ſuũ, & ſubijcit ſeruituti, & tamen cernit naturalem carnis ardorem ſuæ repugnare ſententiæ, & exclamat, dicens: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; non extra me repugnantia eſt, ſed in membris meis, quibus compactus viuo, quæ erit cuſtodia cordis mei, nè labatur, & vulneretur; Ego autem ad hoc imbecillis ad te ſuſpiro, & voce magna clamo; cuſtodi animam meã, & erue me; vides, quia vim faciunt, qui quærunt animã meã, & qui inquirunt mala mihi loquuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditantur; multi bellantes aduerſum me, qui oderunt me, multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei; fortes ſunt aduerſarij, & plures, & quærunt me, malũ meũ, perditionem meã, fallacias, fraudes, & impoſturas ſine ceſſatione, attentiſſima conſideratione, apertiſque oculis oculis mentis conſiderant; caro mea,

quæ

quæ intra me eſt, militat contra me, fortis inimicus ego ipſe mihi; quid mirũ, ſi timor, & tremor, venerunt ſuper me; fortes enim quæſierunt animã meã; ſis Domine mecũ, tanquàm bellator fortis, ſim ego ſemper tecũ, qui diſcedo primus à te, vt vagari incipiam poſt delectationes fallacis ſęculi huius; oculos meos aperis Domine, & video, quòd omnia vanitas, & nihilominus perſequor vanitatem, & diligo mendaciũ; imbecillis caro mea, vt faciat bonum, inualida, vt fugiat malũ, fortis, tamen contra me, & ſpiritũ inſequitur vehementer; rationi validè ſe opponit, & cũ diaboli perſecutoribus meis ad meã ſe coniungit perditionẽ, & intentat continuè ruinã; ad te ergo Domine clamabo, & ad te Deum meũ deprecabor, timens, & tremens auxiliũ inuoco tuũ, nè tradas me calumniantibus me.

CONSIDERATIO XXIX.

MIſerere mei Deus. Nec dico meus, quia quotidianis inuoluor peccatis, & offendo te; agnoſco te Deũ; ſed meũ dicere non præſumo;

nàm

nàm cũ mihi eſſes natus, mihi datus, ac pro me mortuus, & ideò propriè Deus meus; ego infelix, propter peccata perdidi te, imò meũ perdidi in te; ò infelix iactura, dicam tamen: Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te; verè offendi te, ſed nihilominus diligo, & diligam te, & ſi deſij ego tuus eſſe, quia elongaui me à te, tu dulcis ſẽper meus, quia peccatũ odiſti, & creaturã amas, vocaſti me, & ad me veniſti; verè nõ ſolùm meus, ſed dilectus meus, magna eſt ſuper me miſericordia tua Domine, qui eripis animã de morte, qui à peccato liberas, & longanimitate maximo diſtuliſti condemnationẽ meã; maiorem oſtendis benignitatem, dũ ego te voco meũ, cũ ſis Dominus omnium, & finis: iuſti dicunt, exultet ſpiritus meus in Deo meo; ego autem peccator vilis, & miſer quare hoc audeo? quare non inuoco te ſolùm Regem, Deũ, ac Dominũ? hoc timeo, hoc expaueſco, quia peccaui nimis, meũ imploro, meũ deprecor, vt ſalues meus, quem Deus, & Dominus eſſes condemnaturus, niſi à te meo non ſpero ſalutem; nimium enim irritaui iram tuã, ſpes mea in te, quia

Deus

Deus omnipotens, mihi natus, mihi factus, mihi mortuus, mihi reſurgens, mihi aſcendens, vndique meus; non ergo perdas, quod tuum eſt, nè ſimul trahas me cũ peccatoribus, & operantibus iniquitatem, nè perdas me; ſine, vt dicam ſemper, Dominus meus, & Deus meus.

CONSIDERATIO XXX.

TEnebræ iam factæ erant, et non venerat ad eos Ieſus, mare autem vento magno flante exurgebat: Quid hæc ſequitur, niſi timor, et tremor? ſed quod plus timoris afferebat, non enim aderas Domine: te præſente non timebo mala, inde dicis: Ego ſum nolite timere: tunc cedit omnis perturbatio: cunctaque pericula deſinunt: Saluator enim ades, tu eruis animam de morte, affectus à lapſu: contexerunt me tenebræ: inde timor, et tremor venerunt ſuper me, ſed tenebræ non obſeruantur à te, luceſcunt accedente te, qui illuminas omnem hominem, vbi es tu, non ſicùt dies illuminabitur; vis ventorum, et vndæ maris procelloſæ cor turbant, et timorem afferunt, ſed

tu

tu ſtatuis procellam in auram; tuus enim ſpiritus aura tenuis: vnde ſilent fluctus, et ventorũ impetus arcetur; tu omniũ periculorũ ſolutio es: mundus iſte mare eſt, procellis turbulentũ, ſalſedine amarũ; irruunt venti concupiſcentiarum, et ſæuiunt fluctus deſideriorum; vndique circuunt tenebræ peccatorũ, in corpore tanquàm in naui iter facimus; quomodò non expectemus naufragium, et ruinam? ſi tu eris nobiſcum, quieſcemus, qui abſente te laboramus, videam te Domine mecum, et audiam vocem tuã; tunc enim ſæuiat licèt mare, conturbentur montes, Deus in medio eius non cõmouebitur; ſonet vox tua in auribus meis, qua dicas: Ego tecum ſum, vt liberem te; tunc dicam: Exulta, et lauda habitatio Syon, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael; parum dixi: ipſas inferni vmbras te comite ſecurus aggrediar, et medias penetrabo flammas, et decantabo lætus: Et ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Amen.

CON-

CONSIDERATIO XXXI.

TVnc non confundar, cum perſpexero iu omnibus mandatis tuis; Sic reſpiciam, vt auxilium expectem, nec me fallet euentus, cum in præceptis tuis fidens ero; ſperans in ipſis non confundas; bene video, quod omnis confidentiæ finis eſt latũ mãdatum tuum nimis: quælibet animi, & corporis paſſio ex his recipit medicinam; triſtitia, & ſollicitudine negotiorum oneror, & premor (tu ſcis Domine) remedium audio; quare triſtis es anima mea, & quare cõturbas me? Spera in Deo; ipſe enim faciet; & rurſum; ſperate in eo omnis congregatio populi, & iterum: effundite corã illo corda veſtra; Deus enim adiutor noſter in æternum: inopia frangor, te non latet Deus cordis mei, & ſtatum meum bene ſcis, ſentio, quid faciam; iacta cogitatum tuum in domino, cõfide de eo audacter, & ipſe te enutriet; omnis homo mendax, & deficit: Deus autem ſtat in æternum, & ſcit, quia his omnibus indigemus; vndique inſidias, & calumnias ſuſtinemus, quia di-

Digitized by Google

diminutæ ſunt veritates à filijs hominum; magnum malum, ſed ibidem remedium, ipſi detrahebant mihi; ego autem orabam; & iterum: Saluum me fac domine, quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum, & vana loquuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum; ad te nos domine inuitas, vt opportunè recipiamus auxilium: quæ dulcedo, quæ miſericordia tua poterit comparari; dicam ergo; Confitebor tibi in directione cordis, lętanter, & totis viribus; dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo ipſum cor meum, tanquam incenſum ſit ante te; affectus mei ex accenſo corde igne amoris tui dirigantur tanquam virgulæ fumi ex aromatibus amaritudinis, & doloris propter peccata mea, & thuris deuotionis, & humilitatis; quomodo autem hæc fient Domine, niſi tu adiuues cor meũ, & caro mea exultabunt in Deum viuum; quando non iratus nõ dormies mihi, ſed amore excitãte te mihi vigiles, & enutries me; quando preparabis cor meum, vt ſperet in te, & ſic dicam: paratũ cor meum Deus, paratum cor meum; dicitur namque; paratum cor eius ſperare

rate in Domino, confirmatum eſt cor eius, non commouebitur, donec deſpiciat inimicos ſuos; tunc anguſtiæ, tribulationes, neceſſitates, cæteraque mundi mala erunt infra me, eaque deſpiciam confidens in te, & dicens, tribulatio, & anguſtia inuenerunt me; mandata tua meditatio mea eſt; Tunc viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me; Verè dulcis Deus, & miſericors, qui ſaluas ſperantes in te: viuæ ſpei effectus eſt ſalus, & tu das eam, quia Deus ſalutis es.

CONSIDERATIO XXXII.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Multa ſunt domine mandata tua; vnũ tamen ſunt, vt diligamus inuicem, facilè amamus nos amantes, nos verò odientes quomodo diligemus? cor noſtrum anguſtum eſt, & tantùm capit, quæ ſibi iudicat vtilia; dum autem veniunt aduerſa, diſrumpitur, & contra infligentem, & mittẽtem ea, iram, vindictamque eructat: quis illud dilatat, niſi charitas? vnde omnia ſiue proſ-

pe-

pera ſint, vel aduerſa capit, nec redũdat, ab alijs illata mala tolerat æquanimiter, & proximum quantumcumque contra nos agentem recipit, amplum facit charitas ſinum cordis, vt te ipſum Deum capiat, & in ſe teneat, faſciculus mirrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur; quantumcumque amarus ſis mihi Domine, & mittens amaritudines mecum tamen eris, & intra cordis viſcera, quia diligeris: moleſtent me proximi mei, & incutiant aduerſa, habitabunt nihilominus in corde meo, quod dilatat charitas; dicitur, cor noſtrum dilatatum eſt; incurris in aduerſis Apoſtole, nec anguſtijs premeris, & retardaris, exultas tu Domine verè amor, & curris lætus in tuis amaritudinibus, cor tuum namque charitas dilatauerat; inde pro inimicis rogas, nec admittis mortem, niſi prius dixiſſes: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt: omnes ſenſus occupat amor; inde videns non vides, quia Deus Iacob, audiens non intelligis, nec habes in ore redargutiones, ſed orationem: exclamabo: quàm magnum bonum eſt charitas iſta, quid pretioſius? quid lu-
mi-

minoſius; quid firmius? quid vtilius? quid ſecurius? eam Domine expeto: hanc requiro, vt dilatato corde curram: & curram ſic, vt tandem perueniam.

CONSIDERATIO XXXIII.

SI dormiatis inter medios cleros. Inter medias ſortes, quieta, & attenta conſideratione expendens, de limo hominem formatum, initiũ ſumpſiſſe de puluere, & in puluerem conuertendum, tunc non appones te magnificare homo ſuper terram, homo de terra nequaquam vltra ſuperbies, nec te æſtimabis ſuper te: vide internis oculis, non tranſcurſim, aut raptim, ſed permanenter, & quietè, quid fueris, quidue eris, inter medias ſortes tuas attentè quieſce; inde pennæ tibi columbæ deargentatæ, tunc dices, volabo, & requieſcam: nequaquam ſuperbiæ ventus efferet te; tunc corã Deo humilis, & proſtratus corde dices; loquar ad dominum meum puluis, & cinis, tunc intelligens non meliores tuas, quàm proximi ſortes, eris cum eo modeſtus, tunc volabis ad ſubli-

blimia; & cæleſtia meditaberis, eaque concupiſces, appetens vitam beatam, vbi Dei participatione effectus Deus, vilitatem deponas, fige oculos in ſortes tuas, contemplare eas, diu, noctuque, vt tandem voles, non te detineat lutus, vnde originem trahis, & in quẽ conuerteris, ſed ipſum cõſidera exordium, finemque tuum, vt in alas conuertatur, & eleuet te: quis autem elatum hominem in ſuæ vilitatis conſideratione apponat, niſi tu Deus gratia tua, voce tua, qua clamas: memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris; hic eſt legislator, quem expetebat Dauid dicens; conſtitue domine legislatorem ſuper eos, vt ſciant gentes, quoniam homines ſunt; nè euaneſcat Domine ſpiritus meus in externarum conſideratione rerum: ſit intra me, mediteтur ſemper vnde venerim, & quo tendam, vt eleuer, & tandem ad te perueniam.

CONSIDERATIO XXXIV.

INfirma eſt virtus mea, imbecillis voluntas, ægra anima, inualida ad bonum, & malo non reſiſtit; tu ſcis Do-

Domine, quia cuſtodis me, ad te feſtino ſanandus, quia tu Verbum diuinum ſolus es humanarum ægritudinũ medicus, & ſanctus ęgrotæ animę incantator, in febribus vitiorum meorum ſitio, & in concupiſcentijs exardeſco; quis mihi propinabit aquam, vt bibam, & refrigeret; tu ſolus Domine ad hoc vales, tu das aquam ſalutis; ecce ego clamo ad te, & dico: Domine Deus ſalutis meæ in die clamaui, & nocte coram te: ſana me, Domine, & ſanabor, paſce cor cibo illo diuino, vt dicam: qui paſcis me à iuuentute mea; tunc firmabitur cor meum, quia panis cor hominis confirmat; verus vtique panis, qui de cœlo veniſti Ieſu bone; tunc temporalium rerum extinguetur ſitis, quia ſuper aquam refectionis paſces me; tunc ad te conuertetur anima mea, & tu oſtẽdes mihi faciem tuam, & ſaluus ero, febris, & dolor aufugient adueniente te, & in te firmabitur anima mea, & non flectetur; dextera enim tua amplexabitur, & tenebit me, ſed & dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in me; dextera tua quæ facit virtu-

tutem: brachium tuum, in quo facis potentiam; illuminatio vultus tui, ſplendor Patris, qui illuminat omnem hominem: ſitiat Domine anima mea ad te, vt tandem venias auctor pacis, & iuſtificatus pacem habeam; viuat ſpiritus meus in te, deoſculetur te, & in amplexibus tuis euadat fortis, facta carnis mortificet, vt viuat, & quieſcat: ex fæce peccatorum; & de ſtercore deſideriorum temporalium erige me; tunc ſurgam, & quæram te; & quia tecum quæram, inueniam te; nobiſcum es, quando quærimus te, & non oſtendis te, vt laboremus, & quæramus, & fiat inuentio dulcior, quis enim nos mouet ad te, niſi tu, & dic's tamen; venite ad me, cum tu aduencris prior, & traxeris nos: væ mihi miſero, & iterũ atq; iterũ væ: quãdo tu trahis, & ego limo paſſionum, & concupiſcentiarum, in quo infixus ſum, detineor, & venire nequeo; extende Domine manum tuam, eripe me de luto, vt non infigar, vt lætus dicam; Dextera tua Domine percuſſit inimicos meos, & ſuſcepit me.

CONSIDERATIO XXXV.

QVoties audio Domine vocẽ tuã, qua clamas ad me, & dicis miſericorditer, Volui congregare te filium meum ſub alas, & noluiſti, pater filium vocas, & renuit ad nuptias tuas, vbi tu Rex diſcumbis, æternam gloriam quaſi optimas dapes propinas, & ſæpe miniſtras, vocas me, & tamen excuſo me, quia temporales delectationes magis æſtimo, quàm te; ideo negligo vocationes, & venire nolo; quando moueor, vt veniam, non expectas Pater amans aduentum meũ ſed in via occurris, feſtinus, & lętus ſuſcipis peccatorem, quia voluntas tua ſanctificatio mea eſt, multoties venio ad partum, Domine tu ſcis, & non eſt virtus pariendi, verè piger ſũ, & eneruis animus meus ſolui non valet, inde differo, & dum vocatus non venio, timeo audire vocem tuam, qua dicas, & qui inuitati ſunt, nõ fuerunt digni; Hoc Domine terret me, quia tu quẽlibet motum meũ ad te æſtimas, & ego neglexi vocationes tuas, nec dignè æſtimaui, nõ tamen deſpero; opus enim

O pro-

Digitized by Google

propriè tuum eſt iuſtificatio peccatoris: miſericordia motus accurris, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus miſericordia mea; præuenis nos in benedictionibus dulcedinis, non confundar Domine ab expectatione mea, à mora mea, ne claudas mihi oſtium miſericordiæ, & miſerationis: renui vocatus venire, tu antè aduenis ſola vocante pietate tua, ſtas ad oſtium vocans, & expectas creaturam, opus tuũ nõ negligis, & ego miſer neglexi creatorem, omnia paraſti in voluntate tua, qua hominẽ ſaluas, nuptiæ paratæ ſunt, præſtò eſt gloria tua, tu Done Ieſu mihi quæſiſti eam, benedictus in ſæcula, ne deſinas me inuolutũ in huius ſæculi deſiderijs, ne detineant me illecebræ rerum temporalium, rependam animo bonitatem tuam, recogitem miſericodiã tuam, audiam vocationes tuas, timeam vocis tuæ neglectum, audiam, quid loquaris in me Dominus meus, præſto ſim ego, & in in manu tua voluntas mea, vt deducas eam, anima ſequatur te quaſi pediſſequa, quia tu es Deus meus, gloria mea, & exaltãs me, tibi dicam, ne deſpicias me Deus ſalutaris meus. Amen.

CON-

CONSIDERATIO XXXVI.

QVis conſurget mihi aduerſus malignantes? aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Malignantes ſenſus meos contra me, cócupiſcétias meas doloſè decipientes me, quis cohibebit? aduerſus tentationem exercentes contra me, iniquos operarios ad mala tentantes, & excitantes me, quis erit mecum? Impar ſum ego validis hoſtibus, inde animi incertus, auxilij egens nullum inuenio ad eripiendum me validum, clamabo igitur ad te, & dicam tibi: Niſi tu Domine, adiuues me, paulominus habitat in inferno anima mea, Deus meus es, Deus auxilij mei, ſpes mea in te eſt, à facie impiorum, qui me affligunt, protege me: impietates meæ circumdant me, concupiſcentiæ meæ inimici mei sũt, qui animam meam circumdederunt, adipem ſuum concluſerunt, valde lætati ſunt, in tempore hoc tribulationis ne derelinquas me ſine adiutorio, quod es tu, ſub vmbra alarum tuarum protege me ſub vmbra maieſtatis tuæ, defende me, nomen tuũ grande eſt, à

propriè tuum eſt iuſtificatio peccatoris: miſericordia motus accurris, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus miſericordia mea; præuenis nos in benedictionibus dulcedinis, non confundar Domine ab expectatione mea, à mora mea, ne claudas mihi oſtium miſericordiæ, & miſerationis: renui vocatus venire, tu autē aduenis ſola vocante pietate tua, ſtas ad oſtium vocans, & expectas creaturam, opus tuū nō negligis, & ego miſer neglexi creatorem, omnia paraſti in voluntate tua, qua hominē ſaluas, nuptiæ paratæ ſunt, præſtò eſt gloria tua, tu Done Ieſu mihi quæſiſti eam, benedictus in ſæcula, ne deſinas me inuolutū in huius ſæculi deſiderijs, ne detineant me illecebræ rerum temporalium, rependam animo bonitatem tuam, recogitem miſericodiā tuam, audiam vocationes tuas, timeam vocis tuæ neglectum, audiam, quid loquaris in me Dominus meus, præſto ſim ego; & in in manu tua voluntas mea, vt deducas eam, anima ſequatur te quaſi pediſſequa, quia tu es Deus meus, gloria mea, & exaltās me, tibi dicam, ne deſpicias me Deus ſalutaris meus. Amen.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO XXXVI.

QVis conſurget mihi aduerſus malignantes? aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Malignantes ſenſus meos contra me, cōcupiſcētias meas dolosè decipientes me, quis cohibebit? aduerſus tentationem exercentes contra me, iniquos operarios ad mala tentantes, & excitantes me, quis erit mecum? Impar ſum ego validis hoſtibus, inde animi incertus, auxilij egens nullum inuenio ad eripiendum me validum, clamabo igitur ad te, & dicam tibi: Niſi tu Domine adiuues me, paulominus habitat in inferno anima mea, Deus meus es, Deus auxilij mei, ſpes mea in te eſt, à facie impiorum, qui me affligunt, protege me: impietates meæ circumdant me, concupiſcentiæ meæ inimici mei sūt, qui animam meam circumdederunt, adipem ſuum concluſerunt, valde lætati ſunt, in tempore hoc tribulationis ne derelinquas me ſine adiutorio, quod es tu, ſub vmbra alarum tuarum protege me ſub vmbra maieſtatis tuæ, defende me, nomen tuū grande eſt, à

ſæculo namque, & vſque in ſæculum tu es Deus, cuſtodiens paruulos dominus, ſecundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ; ſub vexillo tuo tecipe me, Dominus enim exercituũ tu es, dominus fortis, & potẽs, dominus virtutum, ſub alis tuis pullus hirundinis clamabo, & requieſcam, meditabor, vt columba, ore cantabo, & dicam habitabo in vmbra Chriſti mei, ò felix vmbra, quomodo nõ ſanet hęc, quando Apoſtolorum vmbra ſanabat, quomodo non reſpirem afflictus incẽdio deſideriorum, dũ in hac vmbra viuo; per diem ſol non vret, neque luna per noctem, Dominus enim cuſtodit me ab omni malo, cuſtodit animam meam dominus: Grates rependã tibi, & dicam, in die malorũ abſcondit me in abſcondito taberuaculi ſui, ſub velamento manus tuæ protexiſti me, ſub protectione dexteræ tuæ, maieſtatis, & gloriæ. Amen.

CON-

CONSIDERATIO. XXXVII.

ET erant appropinquantes publicani, & peccatores ad Ieſum, vt audirent illum. Infirmi ad medicum, vt curarentur à läguoribus, & quomodo ſanabas eos Domine? manducans cum illis, ò vera menſa ſalutis, vbi cibus es Saluator ipſe: veniunt, vt audias eos, ſed tu neſcis audire, niſi exaudias, nec videre niſi prouideas, carnem meam aſſumpſiſti, in qua non erat bonum: hæc eſt enim, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum, cuius opera contentiones ſunt, & immunditiæ; diuinamque effectã mihi reſtituis, vt viuifices me; hoc expetebat Dauid, clamans: viuifica me ſecundùm verbum tuũ; quod enim de noſtro aſſumpſiſti, totum nobis confers ad ſalutem; Rex enim noſter aduenisti nobis, verè camelus expectatus, & deſideratus, qui ad ſuſcipienda noſtræ mortalitatis onera ſpõte deſcenderes, tu humiliatus, & genu flexus præparaſti te, & in te poſitæ sũt iniquitates omnium; inde dicis; ſupra dorſum meũ fabricauerũt peccatores; Taceas Phariſee, neque dicas, hic pec-

catores, recipit; Saluator eſt enim, qui venit peccatores ſaluos facere; nonnè audis illum clamantem; venite ad me, qui laboratis, & onerati eſtis, onuſti venimus ad leuantem nos, appropinquamus ad Saluatorem Chriſtum Ieſum; nemo ergo deſperet, dum audit, erant appropinquantes ad Ieſum peccatores, & manducabat cum illis. Verè diues in miſericordia Deus, ſuperabundantes, quàm petimus, aut intelligimus, quis enim hæc intelliget? Deus venit; aſſumpſit hominem, ſeipsũ Deũ, ac hominem dat homini in cibum, & potum, appropinquantes ad ſe homines recipit, manducat cũ illis, nec alio cibo reficit, quàm ſe ipſo; exclamas domine, caro mea verè eſt cibus, tuum enim effeciſti, quando Verbum caro factum es, non tamen tibi aſſumpſiſti, ſed mihi cibum meum, reſtituis mihi eam, vt diuinitatis efficiar particeps, et diuinæ carni concorporeus, vita diuina viuã, in te Deo maneã, & tu Deus in me, & bene mihi ſit in æternum: ò miſericordiarum pelagus immenſum, ò bone Ieſu, verus Deus, tu nobis quaſi apis argumentoſa deſeruiſti, in huius namque mundi hortum veniſti, in

vtero

vtero Virginis,quaſi in flore requieuiſti, rorem rorem puriſſimæ carnis,quã ſugens accepiſti,eamque ad diuinitatẽ eleuaſti,ſicque eſſentię diuine participem effeciſti, vt in te inhabitet omnis plenitudo diuinitatis corporalìter, incorporatam in diuinitate carnem indigeſtum rorem,mollem aquã, mel dulce effectum nobis reſtituis, & de tua plenitudine omnes accipimus,totumque nobis confers ad ſalutem,cũ deificatam carnem tuam mihi das in cibũ, verè ſuauis vniuerſis, & miſerationes tuę ſuper omnia opera tua,peccatores recipis,& mãducas cum illis,verè memoriam facis mirabilium tuorum dũ das te in eſcam miſerator dominus :dicant peccatores, dicam ego maximus inter eos: Benedictus dominus in æternum, viuat à ſæculo vſque in ſæculum glorioſus. Amen.

CONSIDERATIO XXXVIII.

CONuerſus ſum in ęrumna mea, dum configitur ſpina. Spinam, domine, peccatum nomino, inutile germen;& ad pungendum natum,ſpinas,& tribulos infigit caro, dum pec-

cat, curarum morſus, ſolicitudinumque generat, quaſi clauis quibuſdam ſuffigitur anima corporeis voluptatibus; & cum ſemel adhæſerit cupiditatibus demerſa terrenis, difficilè in altum poteſt, vnde deſcendit, ſine Dei fauore reuolare, percutitur ictibus, & laniatur, & nihilominus falſa delectatione detinetur; clamat, vt ſanetur, & medicinam deprauato guſtui amaram reſpuit, oleum offers, & viuum ad vulneris ſalutem verus Samaritanus, & & animæ cuſtos, vtrumque reſpuit deceptus homo, extimeſcit remedium, & in ægritudine remanet, clamat dolens, vulnus videt, ſanari cupit, ſed remanet alligatus vinculis peccatorum; tribulationes frequenter ex carne ſuſpicio, & tamen carnis volutatibus delector; repeto peccata, & magis intrant ſpinæ, augetur dolor, & difficilius extrahuntur; dextera tua domine faciet hāc virtutē, dextera tua adiuuabit me; ecce cor meum transfixum ſpinis, anima mea vulneribus lacera, quæ in peccatis reuoluitur, & vulneratnr magis, à te expectat auxilium, ne peream in æternum; gemam ſemper, donec auxilieris mihi, & deſinas infi-

xis

xis ſagittis confirmare ſuper me manum tuam: auerſo enim te, meiſque ſceleribus offenſo in incurabiles morbos animus meus incurrit; conuerſus autem viuificabis me, de regione mortis extrahes me, ad vulnera mea quodammodo deſcendes, & admotis manibus tuis ſanabis ea; inde canam; de tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine dominus, tu conſideras laborem, & dolorem, vulnera peccatorum quæ, & qualia ſint, tu ſcis, eaque mederi ſolus potes; adiuua me domine Deus meus.

CONSIDERATIO XXXIX.

IPſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum. In pace eſt anima mea, cũ ades tu dominus Ieſus Chriſtus, tu facis in eà vtraque vnum, quãdo te adiuuante, præſenteq; inter carnem, & ſpiritum facis pacem, quando huic illa famulatur, & ancilla deſeruit, & membra, quæ fuerant arma iniquitatis peccato, fiunt arma iuſtitiæ Deo; te præſente Rex gloriæ abeſt inordinata pax, & peſſima, quę ſpiritus acquieſcit deſiderijs carnis, & ratio con-

cupiſcentiæ ſeruit, ita quod fatua famula domine principetur, tu ſecũdus Adam cæleſtis pacem illam coinquinatam, quam primus Adam terrenus habitam cum Eua in commeſtione fructus prohibiti trãſmiſit nobis, deſtruis, & veram pacem tribuis; vnde dicis; pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat; ò felix pax, & ſumma, quando Domine audiam vocem tuam qua dicas, pax tibi, etenim pax iſta bellum diabolo eſt, pugna hæc inter carnem, & ſpiritum fortior diaboli exercitu, hoc ſępiùs vincit, laſſatur enim ſpiritus continua pugna cum carne ſua, & cum diabolus tentationibus irruit, ſæpe cadit, domine tu cognoſcis figmentum meum, vides laborẽ meũ, caro mea pugnat contra me; veni domine, veni, & fac pacem: videat lupus paſtorem cuſtodientem, & fugiat, ne obdormias Domine, & ne attendas iniquitatem meam, pax mea Deus, & Dominus meus.

CONSIDERATIO XL.

PErcutiam, & ſanabo; amara ſenſui tribulationis plaga, ſed felix,

qua

quia peccati digeritur venenum; ſalutare vulnus, quo lethale vulnus euomitur: fortunatum ſupplicium, quo peccato infecta anima curatur; ne timeas anima mea, ſi percutit, quia dulcis dominus dicit, percutiam, & ſanabo; manus domini eſt, quæ dum vulnerat, ſanat, cornu forte ad percutiendum, ſed ad ſanandum fortius, hoc validat nos, vt aduerſarij cornua timere nequeamus; erexit nobis dominus cornu ſalutis, quando fecit potentiam in brachio ſuo: vade anima mea quaſi lutum ad figulum tuum, & in manu Dei fortis, & robuſti quieſce, & ſalutem inuenies; quæ te percuſſit dextera, ſanabit, ſi eris in manu ſua nemo rapiet te; ſi fortiter ames eum, fortiter teneberis, dilectionem fortem virtutis ſuę poſuit dominus recumbe anima mea in manu Chriſti tui, ibi ſeruaberis, effloreſces in dies, & reddes fructum; diſces ibi non timere à facie tribulantis; ſi erit ipſe tecum, non timebis mala, dices ei, tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt; amplexare manum illam, quæ vulnerat te, quia ferit, vt ſpiritus ſaluus fiat; aurea eſt, tornata plena hyacinthis; non ergo vulnerat ad

mortem, ſed ad ſalutem; vulnus ſentis, & hoc vult Deus, vt reminiſcaris, & dicas, peccaui, grauatur nimis manus diuina ſuper vulnera tua, ne derelinquat te cor tuum; quia manus domini eſt, ad ſalutem animæ ordinat cuncta, vide in manibus eius fixuram clauorũ dicas, mihi transfixę manus quomodo nocebunt? diſtenta pro me brachia, & plena liuoribus in cruce quomodo vulnerabunt me, vt peream? nequaquam, ſed percutiunt, vt ſaner, & viuam, Deum meum eleuatis manibus in cruce pro me video, & iram eius extimeſco; non ſic, ſed in vmbra illius ſedebo, & quieſcam, tunc ſol per diem non vret me, neque luna per noctem; proſpera non extollent, nec infringent aduerſa; ò felix vmbra, quæ ſanas, & recreas; vmbra es, ſed fructus facis, tui fructus dulces gutturi meo; quæ procedis vmbra de corpore domini mei pendentis in cruce, inde ſanas protegis, conſeruas, & ad vitam reuocas. Amen.

CONSIDERATIO XLI.

DEus tu cõuerſus viuificabis nos: Ad te domine pertinet, tuique mu-

muneris eſt, nobis vitam, lætitiamque reddere; neque enim quiſquam alius adeſt extra te, qui dum affligimur recreet nos, & pœnè mortuos reuocet ad vitam; tu namque auctor vitæ; proprium tuum domine eſt, cum aliquantulum correxeris, rurſus ad clementiã redire; fallax huius ſæculi lætitia, vanum gaudium, dumque enerues nos ad quædam huius vitę ſolatia conuertimur; tu veram lætitiam ſubtrahis, & elongas te; quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ, & tribulationis noſtræ; auerte faciem tuam à peccatis meis, & conuerſus vivifica me; peccata ne videas, ſed me; me, quia tuus ſuũ me, quia fragilis homo & peccator; me quia confugio ad te, dulcis Aſyle, turris fortis, magnum propugnaculũ; vbi me videat Pater ſub alis tuis, quomodo vulneret, quomodo non videat, quomodo auertatur à me, ſi ſemper reſpicit in faciem Chriſti ſui? quando ego ero tecum, peccaui, ſed te aduocatum habeo apud Patrem, quomodo deſperem; peccata terrent, ſed dum tu conuerteris, lachrymas excitas, quæ lauãt; amorem accendis, vt doleam, qui peccaui in te; amoris ignis emundat ma-

eu-

culas peccatorum, abſtergunt lachrymæ; qui eram mortuus, reſurgo, vt tibi viuam.

FINIS.

MO.

MOTIVA SINGVLARVM CONSIDERATIONVM,

Quæ in hoc Opuſculo continentur.

LIBRI I.

Conſideratio 1. Peccandi lubricitatem agnoſcens, Dei adiutorium deprecatur, vt ſeipſum coerceat: repetens ante Confeſſionem illud Dauidis: *Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia ſuſceptor meus es.* Pag. 1.

Conſid. 2. Poſt Confeſſionem, idem, rogans Dominum: Nempè, vt ei ſit Firmamentum, & protectio, nè ad eadem corruat crimina, illud eiuſdem Regis expendit: *Firmamamentum eſt Dominus timentibus eum.* 2.

Conſid. 3. Ante, & poſt Communionem,

Digitized by Google

nem, Euchariſtici panis ſuauitatẽ, & dulcedinem exprimere nititur, premens ea verba, *Panem Angelorum manducauit homo.* 3.

Conſid. 4. Infrà hebdomadam Corporis Chriſti, conſiderans efficaciam huius Sacramenti, in gratiarum actionem, contemplatur illa verba: *In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* 4.

Conſid. 5. In huius ſæculi preſſuris, & ærumnis à Domino poſtulat auxilium, & ſolamen, repetens: *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me.* 5.

Conſid. 6. Premẽs illud Ezechielis: *Vidi, & ecce ſimilitudo, quaſi ſpecies viri à lumbis eius, & ſurſum ignis, &c.* diuinum rorem, vt animæ ardor extinguatur, poſtulat. 6.

Conſid. 7. Ex verbis Hieremiæ: *Conturbata ſunt viſcera mea ſuper Ephraim, miſerens, miſerebor eius*; Dei pietatem, & miſericordiam fidentèr ſibi pollicetur. 7.

Conſid. 8. Præuentionem gratiæ vocantis, & reſponſionem hominis obſequentis, vnde peccatoris contingit iuſtificatio, colligit ex illis ver-

verbis Dialogi inter Petrum ; & Redemptorem: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: & : Tu es *Petrus Simon Bar-Iona*. 8.

Conſid. 9. D. Pauli Apoſtoli patrocinio ſe commendat, nè in huius ſæculi tenebris excæcetur: explanantur eiuſdem Apoſtoli verba: *Deus huius ſæculi obcæcauit mentes infidelium*. 9.

Conſid. 10. Diuitiæ gratiæ munia, ac effectus, in ipſo conuerſionis initio, medio, & conſummatione, conſiderat, cæleſtis Sponſæ denarrans verba: *Dilectus meus mihi, & ego illi*. 10.

Conſid. 11. Ineffabilem Dei amorem in Peccatorum receptione, & conuerſione admirans, conſiderat verba Euangelij: *Cum peccatoribus manducat magiſter veſter*. 11.

Conſid. 12. B. Virginis vocem, ignitã, ac ad Dei amorem, accendentem, agnoſcit ex illis Eliſabet verbis: *Ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo*. 13.

Conſid. 13. Humanæ conditionis puluerem contemplans, illud Pſalm-

ad-

adfert: *Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum.* 14.

Conſid. E tribulationibus petit eripi, oculis ad figuram Ieſu paruuli, firmitèr conuerſis, illud pſalmi recitans: *Quoniam in te, Domine, ſperaui, tu exaudies me Domine Deus.* 15.

Conſid. 15. Ad idem ſubiectum, eiuſdemque Regis Dauid illud pronunciat; *Lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam leuaui.* 16.

Conſid. 16. Peccatorum pondus, & multitudinem ſentiens, Dei miſericordiam rogat, illis verbis fidens: *Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* 17.

Conſid. 17. Diuini iudicij æquitatem timens, ad Dei clementiam, quæ in ſua Paſſione elucet, confugit, illud Dauidis verſiculum vſurpens: *Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo; quia non iuſtificabitur, &c.* 18.

Conſid. 18. Peccandi facilitatem, eiuſque rei cauſam exquirens, colligit ex illis verbis: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum.* 19.

Conſid. 19. Deſidiam erga Dei amorem,

rem, ac receſſum contemplationis, animo reuoluens, Dei charitatem, & deſiderium expoſcit, præ alijs illud vſurpans: *Dominus ſoluit compeditos*. 20.
Conſid. 20. Peccandi conſuetudinem expauet, illis verbis Iob: *Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem. timor mortis conturbat me*. 22.
Conſid. 21. B. Felicis Religioſi Capuccini laudes refert. 23.
Conſid. 22. Dei propenſionem ad clementiam, tarditatemque ad iram, meditatur. 24.
Conſid. 23. Verba Euangelij: *Miſericordia motus, &c.* fuſicis expromit. 25.
Conſid. 24. Ex Sacramenti Altaris ſuſceptione, cœli harram, ac pignus habere præſentit. 27.
Conſid. 25. Voces Dei, quas ad aures animę continuè dirigit, hominiſq; ad eas ſurditatem, & ingratitudiné deplorans colligit ex Sponſæ Verbis: *Murenulas aureas facis nobis, vermiculatas argento*. 28.
Conſid. 26. Extimulans corpus ſuum ad amandum Creatorem, plura ad eiuſmodi charitatem exercendam,

mo-

motiua ſuggerit. 31.

Conſid. 27. In cor ſuum inuehit, quia in Dei deſiderium non feratur. 32.

Conſid. 28. Ex verbis Publicani: *Deus, propitius eſto mihi peccatori*, ad peccatorum deteſtationem, Deiq; amorem excurrit. 33.

Conſid. 29. Mortem, ab homine, non à Deo, ortum ducere; in Lazari reſuſcitatione reperit. 35.

Conſid. 30. Aerumnis & aſſlictionibus obſitus, vires, & animum ex ſola Euchariſtia haurit, premens verba illa: *Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt* Dominum, *&c.* 36.

Conſid. 31. Inter innumeros peccati effectus, Iuſtitiæ ex loco ſuo motionem, & ſubtractionem aſſerit? Geneſis verba perpendens: *Adam, vbi es?* 38.

Conſid. 32. Humanitati Chriſti, ex qua omnia bona in homines effluxere, applaudit cum Propheta: *Lætantium omnium noſtrum habitatio eſt in te: In templo tuo omnes dicent gloriam.* 39.

Conſid. 33. Ingentem Dei amorem erga homines, ex cibi Euchariſtici in-

Digitized by Google

inſtitutione ſpeciatim recolit. 41.
Conſid. 34. Infantis Ieſu imaginem contemplatus, ſaluationis inde trahit vota, quod & pluribus ſcripturæ locis confirmat. 42.
Conſid. 85. Dei proprium, aſſerit, miſereri: Ex quo, ſuis peccatis veniam concipit. 43.
Conſid. 36. Ex Patris nomine, quo geſtis Deus appellari, benignitatis viſcera erga filium, etſi rebellem, perbellè mouet. 48.
Conſid. 37. Natiuitatem pueri Ieſu ex Virgine Matre, cum generatione æterna ex Patre, confert: ac naſci eumdem in eius anima, enixè deprecatur. 48.
Conſid. 38. Timens in eadem crimina relapſum; nilque ſuis viribus adſcribens, diuinæ Gratiæ aſſiſtentiã poſtulat. 48.
Conſid. 39. Beatiſs. Virginis Prærogatiuas, præſertim eius immaculatum paſſiuum conceptum, ex ipſa Deiparæ electione, plenis ſcripturi adſtruit. 49.
Conſid. 40. Veritus Dei oculos omnia introſpicientes, iiſdem ſponte reuelat ſcelera, repetens illud Pſalmiſtæ;
Dixi

Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: Delictum meũ cognitum tibi feci. 51.

Conſid. 41. Diuinę gratiæ neceſſitatẽ in toto iuſtificationis proceſſu demonſtrat. 53.

Conſid. 42. Meditatur, ad illa verba reflectens: *Lætatur iuſtus, cum viderit vindictam.* 54.

Conſid. 43. Ex Deo omnia bona, ex mundo nonniſi amaritudines, haberi, colligit ex illo Pſalmi: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram, &c.* 55.

Conſid. 44. Nominis Ieſu myſteria reuoluens, ſalutis ſpem firmam haurit. 57.

Conſid. 45. Crucifixi aſpectat vulnera, ex quibus, mundi contemptum colligit. 57.

Conſid. 46. Infirmitatem ad opera bona, petit diuinà gratià roborari. 61.

Conſid. 47. Spem in obtinenda peccatorum deletione, vnde, & quomodo concipiat. 62.

Conſid. 49. Diuini iudicij rigor, & ſeueritas perpenditur. 65.

Conſid. 50. A Dei miſericordia poſtulat adiutorium, vt euadat mũdi fal-

la.

Digitized by Google

lacias, ac peccatorum conſequatur remiſſionem. 67,
Conſid. 51. Peccatorum pondus, dã-na, & ruinas examinat. 69.
Conſid. 52. Motiua, ad excitandum in nobis Dei amorem, recenſet. 71.
Conſid. 53. In afflictionibus nè opprimatur, diuinũ amorem anxius exquirit. 73.
Conſid. 54. Euchariſtia dignè ſumpturus, quæ, & qualia cogitare debet. 74.
Conſid. 55. Idem proſequitur argumentum. 76.
Conſid. 56. SS. Crucis decora, & myſteria recoluntur. 78.
Conſid. 57. Paſſioni Domini quales grates referendæ, ex illo Dauidis: *Quid retribuam Domino, &c.* 79.
Conſid. 58. Expenduntur verba: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* 81.
Conſid. 49. Euchariſtiæ myſteria reuoluuntur, vt Dei amor in nos facilè excitetur. 83.
Conſid. 50. Ad idem argumentum vſurpantur verba Euangelij: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris ſed, &c.* 85.

L I-

Digitized by Google

LIBRI SECVNDI.

CONſid. 1. Immēſā Dei miſericordiam erga peccatores celebrat. 87.

Conſid. 2. Ibidem ſubiectum expendit. 89.

Conſid. 3. Comentatur verba illa: *Et iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei*. 91.

Conſid. 4. Item illa: C*onfiteantur tibi* D*omine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi*. 93

Conſid. 5. De Verbi diuini Incarnatione exponit ea: *Egredimini filiæ Syon, & videte Regem Salomonem, &c.* 95.

Conſid. 6. Pro diuina gratia vſurpat illud pſalmi: *Deus tu conuerſus viuificabis nos*. 97.

Conſid. 7. Gloriam Dei, & crucē Chriſti, paſſionem, & mortem, idē eſſe meditatur. 99.

Conſid. 8. Quare Deus ſpeciatim dicatur magnus in miſericordia. 102.

Conſid. 9. De charitatis oleo nonnulla ſubtexit. 104.

Conſid. 10. Chriſti amor in noſtræ carnis

Digitized by Google

nis aſſumptione. 106.
Conſid. 11. De Incarnationis myſterio exponit ea verba: *Fiat manus tua, vt ſaluet me.* 107.
Conſid. 12. Ad laudem nominis Ieſu vſurpantur verba Pſalmi: *Laudate Dominum, quoniam bonus eſt Dominus, & pſallite nomini eius, quoniam ſuaue eſt, &c.* 113.
Conſid. 13. Decor Ieſu, etiam ex Matris decore, & pulchritudine. 114.
Conſid. 14. Ex Ieſu crucifixo, propriæ ſalutis ſpem ducit. 116.
Conſid. 15. In Dei miſericordia iterum ſuam ſalutis ſpem ponit. 118.
Conſid. 16. D. Pauli Apoſtoli charitatem celebrat: eiuſque patrocinio ſe committit. 120.
Conſid. 17. Doctrina, & pręcepta Chriſti, à doctrina, & præceptis mundi quàm remota. 122.
Conſid. 18. Expendit, cur dicatur: *Verbum caro factum eſt, & non verbum bum homo factum eſt eſt.* 124.
Conſid. 19. Videns, nil boni, tot elapſis annis egiſſe, poſtulat à Deo auxilium, & impulſum ad bene operandum. 125.
Conſid. 20. Vt cognoſcatur, quàm ſua-

uis ſit Dominus, à curis ſæculi vacare debemus, iuxtà illud: *Vacate, & videte, quàm ſuauis eſt Dominus.* 127.

Conſid. 21. Expenditur: *De torrente voluptatis potabis eos.* 128.

Conſid. 22. Sitis, & raucedo Chriſti, quid figurent. 129.

Conſid. 23. De Chriſti cruciatibus quomodo flendum pariter, & exultandum, iuxtà illud: *Venite, exultemus Domino*: &: *Ploremus coram Domino, &c.* 131.

Conſid. 24. Exemplo B. Andreæ Apoſtoli, crux expetenda. 132.

Conſid. 25. Exponitur illud Apoſtoli: *Expurgate vetus fermentum; vt ſitis noua conſperſio.* 135.

Conſid. 26. Vt ſegreget ſe à malis, & adhæreat Deo, expendit illud: *Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium meum, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.* 137.

Conſid. 27. Item illud: *Exurge, quare obdormis Domine.* 141.

Conſid. 28. Incarnationis myſterium agnoſcit ex illo pſalmi: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus.* 143.

Conſid. 29. Gloria cœleſtis omnibus bo-

Digitized by Google

bonis referta, imò ſupereffluens, & præ omnibus cupienda. 145.
Conſid. 30. Vtrumque Chriſti aduentum, in carne, & in iudicio, contemplatur, conſiderans illud: *Ignis ante ipſum precedet, &c.* 147.
Conſid. 31. Præſentia Dei, & gratiæ, quæ bona animæ cauſet. 149.
Conſid. 32. Spiritus bonus, & ſpiritus malus, ſimul habitare nequeunt: expenduntur illa: *Auferes ſpiritum eorum*: et: *Emitte ſpiritum tuum, &c.* 151.
Conſid. 33. B. Mariæ humilitas commendatur ex illis verbis Euangeliſtæ: *Turbata eſt in ſermone eius, &c.* 153.
Conſid. 34. Carnis concupiſcentijs, abſque Dei auxilio, non poſſumus reſiſtere: expenditur: *In Deo ſperaui, non timebo, quid faciat mihi caro.* 155.
Conſid. 35. Deiparæ laudes, & prærogatiuæ recenſentur, ac vſurpatur illud Apoſtoli: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam &c.* 157.
Conſid. 36. Spiritus ſancti auxilium ad bona operanda depoſcitur, ex il-

Digitized by Google

lis verbis: *Spiritus tuus deducet me in terram rectam*. 159.
Conſid. 37. Exponuntur verba Pſalmi: *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ*. 161.
Conſid. 38. De Iudæis intelligit Pſalmum: *Deſiderium peccatorum peribit*. 163.
Conſid. 39. Chriſti amor erga homines, ab ipſo lucis primordio, colligitur ex illis verbis: *Primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans*. 165.
Conſid. 40. Mariæ fæcunditas, & Virginitas examinatur, ac eius filij humilitas, & amor. 167.
Conſid. 41. Ineffabilem filij Dei miſericordiam reuoluens, interpretatur illud: *Qui replet in bonis deſiderium tuum*. 169.
Conſid. 42. Amor Chriſti, & Animæ, ex illo Canticorum: *Oſculetur me oſculo oris ſui*. 171.
Conſid. 43. Ex ſalutari nonniſi ſalus expectanda. 173.

LIBRI TERTII.

C*Onſid*. 1. Pro Chriſti Paſſione nouum Canticum Deo concinen-

nendum: expenditur illud Pſalmi: *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* 175.

Conſid. 2. Diuina beneficia meditatur, præ cæteris extollit beneficium Incarnationis, repetens: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* 175.

Conſid. 3. Non minus piè, quàm eruditè, exponit illud Pſalmi: *Benignè fac in bona volũtate tua, vt ædificentur muri Hieruſalem.* 179.

Conſid. 4. Explicat illud Canticorum: *Qui habitas in hortis, fac me audire vocem tuam.* 181.

Conſid. 5. Cor à nobis Deus efflagitat: explicatur illud pſalmi: *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique. Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum, &c.* 183.

Conſid. 6. Doctè ſimul, ac piè dilucidatur illud Pſalmi: *Iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit.* 185.

Conſid. 7. Linguæ cuſtodiam ponendã fusè probat, iuxtà illud: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis.* 187.

Conſid. 8. Tituli ſuper crucem poſiti,

Digitized by Google

myſteria pandit; perpendens illud: *Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* 188.
Conſid. 9. De quibuſnàm intelligatur illud Pſalmi: *Audiam, quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in eos, qui conuertuntur &c.* 190.]
Conſid. 10. Quomodo ſit accipiendũ: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in* Deum *viuum.* 191.
Conſid. 11. Ibidem & illud: *Quia ecce, qui elongant ſe à te, peribunt.* 193.
Conſid. 12. Nonniſi adiutus à Deo, homo aliquid poteſt aggredi, ſecundũ illud: *Dominus firmamentum meũ, & refugium meum.* 195.
Conſid. 13. Explicatur: *Accedite ad eum,* & *illuminamini.* 195.
Conſid. 14. Expenditur illud: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt videam voluptatem Domini.* 198.
Conſid. 15. In Deo ſolo lætandum, iuxtà illud: *Lætetur cor quærentium Dominum.* 199.
Conſid. 16. De diuina miſericordia accipit illud: *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.* 201.
Con-

*Conſid.*17. Expoſitio valde ſingularis, & erudita affertur in illud Pſalmi: *Dilexi, quoniam inclinauit aurem ſuam mihi:* Et actus dilectionis inſimul eliciuntur. 204.

*Conſid.*18. Cœleſtium conſolationum modus, & menſura colligitur ex illis verbis: *Bibite, & inebriamini chariſſimi.* 207.

Conſid. 19. Interpretatur ea verba: *Domine Deus virtutum, quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui.* 209.

*Conſid.*20. Similiter explicat ea: *Deficiant peccatores à terra, itaut non ſint.* 212.

Conſid. 21. Quomodò dicatur anima turbari, iuxtà illud: *Quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valdè.* 213.

*Conſid.*22. Explicatur item: *Dormitauit anima mea præ tædio.* 215.

*Conſid.*23. Quomodo anima amplius lauetur, ſecundum illud; *Amplius laua me Domine,* 218.

Conſid. 24. Exponitur; *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* 220.

Conſid. 25. Item & id Euangelij; *Di-*

ſcite

ſcite à me, quia mitis ſum: & inuenietis requiem animabus veſtris. 222.

Conſid. 26. Quomodo ſit intelligendũ: *Qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum.* 224.

Conſid. 27. Expenditur illud Pſalmi: *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit &c.* 225.

Conſid. 28. Diuinis beneficijs grates ſunt referendæ, præſertim diuinæ patientiæ in ferendis peccatoribus. 228.

Conſid. 29. Effuſio cordis, quid ſit, iuxtà illud: *Effundite coram illo corda veſtra.* 230.

Conſid. 30. In tribulationibus, ad Deũ, & non ad temporalia remedia confugiendum, vt præſcribitur in Pſalmo; *Et inuoca me in die tribulationis.* 231.

Conſid. 31. Peccatoris ſtatus, & conditio exprimitur per illud: *Tribulatio, & anguſtia in omnem animam operantis malum.* 233.

Conſid. 32. Euchariſtici panis decora, & myſteria contemplatur, vſurpans illud: *Et erit firmamentum in terra,*

in

in ſummis montium &c. 235.
Conſid. 33. Cœcitas in rebus terrenis: & voluntas Dei, in omnibus expetenda, deducitur ex illo: *Quid vis, vt faciam tibi?* 237.
Conſid. 34. Peccator verè debet pronunciare, quod reuerà Chriſtus, eius vice, ſuſtulit: *Quoniam ego in flagella paratus ſum.* 239.
Conſid. 35. Dignitas animæ, colligitur ex illo: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* 242.
Conſid. 36. Præ cæteris petitionibus à Peccatore, Deo porrigendis, eſt ſuæ mentis illuminatio; ſecundum illud: *Quoniam tu illuminas lucernam meam* Domine. 244.
Conſid. 37. Euchariſtiæ deliciæ, & ſuauitates, ex illo: *Exultabimus, & delectabimur in te, memores vberum tuorum.* 246.
Conſid. 38. De malignorum artibus petit eripi, premens illud Pſalmi: *Saluum me fac* Domine, *quoniam defecit Sanctus.* 248.

L l-

Digitized by Google

Conſid. 1. Omnipotentiam Dei in omnibus admiratur, præſertim in peccatorum viuificatione: expẽdens illud Euangelij: *Lazarus amicus noſter dormit, eamus, & à ſomno excitemus eum.* 52.

Conſid. 2. Ex noſtris peccatis ipſi etiã Deo, rubor, improperium, & verecundia, oritur, iuxtà illud: *Tu ſcis improperium meum, & reuerentiam meam, &c.* 253.

Conſid. 3. Eruditè exponitur illud Euangelij: *Clamauit Ieſus voce magna, ſi quis ſitit, veniat ad me.* 255.

Conſid. 4. Meditando Chriſti cruciatus, & vulnera, varios amoris actus elicit. 257.

Conſid. 5. Suadetur Dei amor ex verbis Pauli: *Fratres, obſecro vos per miſericordiam* Dei. 259.

Cõſid. 6. Tota ſpes nõ in hominibus, ſed in Deo ponenda: vt monet Propheta: *In ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum: & refloruit caro mea.* 261.

Conſid. 7. Volũtas Dei in omnibus quę-

ren-

renda, ad illud: *Verumtamen nõ meà voluntas, ſed tua fiat.* 264.
Conſid. 8. Verbi diuini maieſtas, & amor in quanàm re magis eluceat: expenditur illud: *Vbi crucifixerunt eum.* 265.
Conſid. 9. Dolores matris Dei librantur, ſecundum illud: *Tuã ipſius animam pertranſibit gladius.* 267.
Conſid. 10. Reſurrectionis myſteria indicantur per illa verba: *Et valdè manè veniunt ad monumentum; Angelus autem dixit: Surrexit, non eſt hic.* 269.
Conſid. 11. Perpenditur illud pſalmi: *Exultate iuſti in* Do*mino; & exultauit cor meum in* Deo *meo.* 270.
Conſid. 12. Lachrymarum fructus, & virtutes ex illo: *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metẽt.* 272.
Conſid. 13. In tentationibus, recurrẽdum ad vulnera Chriſti, qui eſt, vt ait Pſalmiſta: *Turris fortitudinis à facie inimici.* 274.
Conſid. 14. Ad Euchariſtiæ menſam qualitèr ſit accedendum. 275.
Conſid. 15. Expendit ſenſus illorum verborum: *Et meditatus ſum nocte cum corde meo.* 277.

Con-

Conſid: 16. Chriſti diligens charitas erga animarum ſalutem, iuxtà illud: *Et circuibat Ieſus caſtella in circuitu docens.* 279.
Conſid. 17. De ineffabili Dei miſeratione, loquitur cum Propheta: *Miſerere mei Deus, &c.* 281.
Conſid. 18. Vult Deus ab afflictis inuocari; & quas delicias tunc ipſemet hauriat. 283.
Conſid. 19. Quomodo noſtra debilitas reficiatur, ſecundum pſalmum: *Adiuua me, & ſaluus ero.* 285.
Consid. 20. Exponitur: *Scienes, quod non corruptibilibus auro, vel argento &c.* 286,
Consid. 21. Sibi opem à Deo poſcit: & deprecatur, vſurpans dictum pſalmi: *Intende in adiutorium meum, Deus ſalutis meæ.* 288.
Consid. 22. Peccatorum compedibus petit abſolui, & his vinculis fractis, diuinorum mandatorum obſeruationibus ligari, ſecundum illud: *Introeat in conſpectu tuo, domine gemitus compeditorum.* 290.
Consid. 23. Pſallit, & gratias agit Deo, vti omnium Regi, Paſtori, & ſapiēti Cōſeruatori, animaduertens verba

pſal-

Digitized by Google

pſalmi: *Pſallite Deo noſtro, pſallite Regi noſtro, quoniam Rex omnis terræ Deus*. 293.
Conſid. 24. Poſtulat, ſibi cor inflammari, & incendi ad diuinorum obſeruationē mandatorum, ex qua verus amor oritur; ponderans Pſalmum: *Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer*. 292.
Conſid. 25. Attendens ad illa verba: *Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & miſericordiarum tuarũ*, diuinam ergà ſua peccata miſerationem expetit, & gratiā, quà adiutus, eadem in poſterùm vitet. 295.
Conſid. 26. Paſſiones ſuas, vti equos regendos à cæleſti auriga, enixè poſtulat, repetens illud: *Tu deduces me in viam rectam*.
Conſid. 27. Alludit præcedenti poſtulatui, rogans denuò, vt ſua voluntas à Deo dirigatur in mandatorum obſeruationē, explicans illa: *Deduc me in ſemitā mandatorum tuorum*. 297.
Conſid. 28. De propriæ ſalutis ruina, valdè timendum, exemplo Pauli dicentis: *Cum multo timore, & tremore fuimus apud vos*. 300.

Q Con-

Conſid. 29. Dei iacturam, & diſceſſū ſuſpirat, ad illud pſalmi: *Miſerere mei Deus*. Actuſq; dilectionis multiplices reiterat, pronomen illud, *Meus*, deuotè interpretans. 302.

Conſid. 30. Ex Dei præſentia omnia bona, ex abſentia omnia damna, & pericula promanant, iuxtà illud: *Tenebræ iam factæ erāt, & non venerat ad eos* Ieſus, *&c.* Mare, noſtrum corpus: procellas, tentationes: Dei præſentiam liberatricem, intelligēs. 303.

Conſid. 31. Soli Deo fidendum, & mandatorum obſeruationi innitendum, non hominum fallacijs, iuxta illud, quod & exprimitur: *Tunc non confundar, cū perſpexero in omnibus mandatis tuis*. Expenditur inſuper & aliud; *Paratum cor meū* Deus, *paratum cor meum*. 305.

Conſid. 32. Omnia Dei mandata in ſola charitate radicari, & compleri, fusè meditatur, alludens illi dicto: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*, 307.

Conſid. 33. Magnates huius ſeculi, & diuites, docet, intueri vnaquéq; ſuas ſortes, & ſtatus, nè præ tumore eleuen-

uentur: ac eorum principium ex puluere, & finem; exponitur illud: *Si dormiatis inter medios cleros*, *&c.* 309.

Conſid. 34. Proprias debilitates, languores, & ad mala procliuitates deplorat: A Deo ſolo auxilium, & robur poſtulans, iuxtà illud: *Infirmata eſt virtus mea*. 311.

Conſid. 35. Denarrans ineffabilem miſericordiam Dei vocantis, & propriam lentitudinem, & ſurditatem confitens, ſupplicat, vt de huius mundi illecebris, & Paſſionum laqueis expeditum, ad ſe trahat: Expenduntur illa verba: *Volui congregare te ſub alas, & noluiſti*. 313.

Conſid. 36. Omnipotentis auxilium, & protectionem deprecatur, contra proprias concupiſcentias, repetés: *Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem*. 315.

Conſid. 37. Dei Charitatem erga hominum genus exaggerat: Dùm ſe dat in cibum peccatorum, premens illa verba: *Et erant appropinquantes publicani, & peccatores ad Ieſũ, vt audirent illum*. 317:

Conſid. 38. Peccatorum morſus, ſpinas, & ſollicitudines ſentit: & tamen remedia, & curationes, deprauata voluntate renuit! confitēs cum Rege Propheta: *Conuerſus sũ in ærumna mea, dũm cõfigitur ſpina.* 319.

Consid. 39. Veram pacem, quæ à Chriſto eſt, non eam, quam mundus dat, poſtulat, conſiderans illud Apoſtoli: *Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* 321.

Consid. 40. Plagæ, & afflictiones cōmendantur: vtpote à Domino immiſſæ, vt ſanemur, iuxtà illud: *Percutiam, & ſanabo.* 323.

Consid. 41. In ærumnis, & doloribus, à Deo venit omne ſolamen, iuxtà illud; *Deus, tu conuerſus viuificabis nos.* 325.

GRATIAS DEO,

B. Virgini, & Angelo meo Cuſtodi.

Digitized by Google

8-1.